BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
B
48
NAPOLI

ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ ΝΕΩΤΕΡΟΙ.

APHORISMI NOVI,

EX

HIPPOCRATIS

Operibus nunc primùm collecti, & in ſuas quique Claſſes digeſti, notiſque illuſtrati.

Studio JACOBI SPONII *Medicinæ Doctoris Collegio Lugdunenſi Aggregati, Academici Patavini & Nemauſenſis.*

LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, JOAN. POSUEL & CL. RIGAUD.

M. DC. LXXXIV.
Cum Regis Privilegio.

ÆGIDIO MENAGIO

VIRO CLARISSIMO,

Literatorum Coryphæo.

S. P.

VAMVIS diu ad exemplum apis ſedulæ per florida Divini Hippocratis Tempe circumvolitarim, vix ſubiiſſet cogitatio, novum ex iis mellificium ſub titulo Novorum Aphoriſmorum paſſim decerpendi, ac in certa quaſi alvearia digerendi, niſi moli-

men iſtud à te, Vir Clariſſime, mihi ante triennium inſpiratum eſſet, & ut tali ſarcinæ humeros ſubjicerem ſeriò perſuaſum. Paruï, proceſsítque inſtitutum è voto Deo bene juvante.

Hunc ergo novitium longéque poſthumum Magni illius Medicinæ parentis Embryonem ſub felicibus inclyti Tui Nominis auſpiciis meritò in apricum venire patior, certò perſuaſus, ſi non alio, aſt eo ſaltem nomine, cordatiorum pleriſque arriſurum, ubi reſcire dabitur, abs Te tam perſpicacis ingenij, támque ſolidi judicij Viro quantulumcunque cœptulum hocce noſtrum, tum haud perfun-

Etoriè commendatum, tum etiam maſcu.è promotum fuiſſe. Quapropter ſiqua Philiatris aliiſve exinde ſit impoſterum emerſura utilitas, volo ut hanc totam Tuo unius muneri, Tuæque humanitati ex aſſe acceptam referant, utpote qui cotis vice erga me functus, ad tam grave penſum ſuſcipiendum exantlandúmque me animaveris, cui primitùs vel delibando, ex propriæ infirmitatis conſcientia, me ſentiebam tum imparatum, tum vehementer imparem. Amico verò ac officioſo incentivo tuo altiùs forſan debito aſſurrexi, & periculum virium facere non pertimui. Quo ſucceſſu viderint æqui re-

rum æſtimatores. Si tamen aliquid aut gloriolæ aut beneficij ex iſto muſtaceo alicunde Auctori cenſeatur arrogandum, id omne Tuis tholis libenter meritóque appenſum me velle ingenuè profiteor, ut omni ex parte apud te conſtare poſſit, quantâ cum ſinceritate eſſe laborem,

Inclyti Tui Nominis Fervidiſſimus omnium Cultor,
JACOBUS SPONIUS.

PRÆFATIO,

In qua de Hippocratis operibus ex quibus excerpti ſunt iſti Aphoriſmi diſcurritur.

VETERUM & vulgarium Aphoriſmorum toties ab omnibus Philiatris decantata laus eſt, ut aureum, divinum, ac *humanum*, ut ait Suidas, *ſuperans captum*, opus audierit; in iiſque explicandis & commentandis ferè ducenti inſudarint Veteres & Recentiores Autores. Sic Democritus Hippocratis coævus hanc docendi brevium præceptorum ope Methodum miratus, conatus eſt, teſte Oribaſio, Selectarum ſententiarum librum ſimiliter ſcribere, ſed rem totam perficiendi deſperatione abjecit.

Hujus ergo opellæ utilitatem nemo opinor inficiabitur, qui atten-

tè perpenderit, quàm multæ apud Hippocratem extent aureæ ſententiæ in memoriam inculcari dignæ, at hinc inde diſperſæ, & quia pleriſque operibus ſuis manum ultimam non admovit, obſcuris, impolitis & ſubinde repetitis ratiociniis obrutæ. Hinc Galenus miratur nonnullas ſententias, quas in ſuis Commentariis explicat, ab Hippocrate in Aphoriſmos non fuiſſe relatas. Harum ſimiliúmque ſententiarum delectum ſub *Aphoriſmorum Novorum* nomine edere cogitavi. Cùm enim permulta in Divini Senis operibus latitent axiomata in antiquis Aphoriſmis omiſſa, & vulgares Aphoriſmi ferè omnes ad Prognoſim, Semeioticénque pertineant, neglectis aut ſaltem rarò inſertis, quæ Phyſiologiam, Pathologiam, Diæteticam & Therapeuticam ſpectant: illa colligere operæ pretium duxi, atque in ordinem, qui memoriæ ſublevandæ inſervire poſſet redigere, partito ſcilicet in quinque Sectiones, juxta nunc receptas Medicinæ partes opere: ita ut qui antiquos &

novos Aphorismos simul cum eximio Prognosticôn libro, apprime calluerit, is totam ferè Hippocraticam Doctrinam possidere censendus sit. Opus itaque, ni fallor, futurum Tyronibus perinde ac Eruditis utile, illis quidem ad acuendum ingenium, istis autem ad refricandam memoriam, utrobique in Artis commendationem & Artificum delectationem.

Novi autem Aphorismi jure merito vocari possunt, non solùm ut aliis ab antiquitate receptis opponantur, ab iisque distinguantur; sed etiam quia nova vulgò putata Medicinæ inventa ferè omnia exhibent, quæ Novatores, quibus tamen debitæ laudis nihil detrahi velim, vel ex ipsomet Hippocrate expiscati sunt, vel inscij mentem ejus sequentes, illa excogitarunt & Orbi erudito communicarunt. Ita lactis ex Chylo generationem, fœtus per os nutritionem, circulationem, venas lacteas, cerebri glandulas, cor musculum, in Sectione prima Physiologica reperies: Febrium ex acido & amaro cau-

ſam, non autem ex ſolo calore, vaſa pinguifera, hydropis ex hydatidibus, anginæ ex ſanguine coagulato generationem in Sectione Pathologica: Scorbutum, Rachitidem, qui novi putabantur morbi in Semeïotica: Febrifuga, potiones vulnerarias, aliáque id genus in Therapeutica. Unde colligere licet qualis quantáque fuerit magni eruditio Hippocratis, quem nihil ignoraſſe ex Veteribus aliqui dixere. Unde inter tot hujus ætatis Autores, qui Vererum dogmata mordaci exagitarunt calamo, nemo ferè eſt qui Hippocratem, quaſi Medicinæ parentem non veneretur: ita Helmontius & Tacheniius aliàs κεϊπωτάτοι, Veterum ignaviam ac ignorantiam ubique carpentes, divinum Senem ſuſpicere & ad partes ſuas trahere non erubeſcunt.

Potuiſſet autem in majorem molem hoc opus accreſcere, cùm tam multæ ſint in Coacis Prænotionibus, Prorrheticis & Epidemiis aphoriſticæ ſententiæ: ſed conſultò omittere viſum eſt obſcura, impolita, incerta, & inutilia permulta, quibus

memoria potiùs fatigaretur, quàm excoleretur animus. Et quid quæsò tot prognoſticis opus eſt, plerumque admodum dubiis, cùm ex una aut altera obſervatione aliquando collecta fuerint? Quid præſidiis hiſce ultimis ſæculis planè abolitis, aut faſtiditis, capitis purgationibus per ſternutatoria, ejuſdem lotionibus, totiúſque corporis frequentibus balneis, lactis copiâ affatim ingeſtâ, aliiſque ejuſdem farinæ? Utilibus potiùs quàm raris ac inuſitatis immorari viſum eſt.

Verùm inſuſurrabit aliquis: rectè iſta quidem; at fortè pro Hippocraticis Axiomatis, nobis ſubleſtæ fidei aut falſa obtrudis, utpote ex libris falsò aut dubitanter Hippocrati tributis. Ad quæ reſponſum habe, me ex libris qui manifeſtè ſpurij ſunt nihil decerpſiſſe, ex iis qui ſuſpecti videntur, & ejus diſcipulis tributi, vel ab ipſis interpolati, cautè, & quæ optima videbantur ſelegiſſe, at ferè ſemper ex legitimis & à doctioribus Scriptoribus admiſſis. A doctioribus dico antiquis

& recentioribus, Erotiano, Galeno, Foësio, Zuingero, Heurnio, ut excludam morosos, criticósque permultos, qui ferè pro arbitrio certos Hippocratis libros expungunt & contemnunt. Ita Mercuriali viro aliàs eruditissimo, sed conjecturis suis nimiùm tribuenti, placuit Hippocratis opera in quatuor Classes redigere, quarum prima sit librorum Hippocratis phrasim & dogmata verè continentium, ab eóque editorum ac perpolitorum, quales sunt, *liber de natura humana*, *Aphorismi*, *Prognostica*, *de alimento*, *de humoribus*, *Epidemia*, & *Chirurgica*. Secunda eorum qui ab ipso memoriæ causâ sunt conscripti, verùm minimè castigati, ab ejus discipulis editi, quales esse vult, *de locis*, *de flatibus*, *de septimestri*, & *de octimestri partu*, atque *de ossibus*. Tertia eorum qui nec editi nec conscripti ab Hippocrate; sed à discipulis ex ejus dogmatibus & aliis adulterinis conflati, nempe libri *de carnibus*, *de genitura*, *de natura pueri*, *de affectionibus*,

bus, de morbis, de mulierum & virginum morbis, de ſacro morbo, de fiſtulis, de hæmorrhoïdibus, de liquidorum uſu, de diæta, de criſibus, de inſomniis, & Coacæ prænotiones. Quarta tandem eorum qui ab Hippocratis doctrina planè alieni & ſpurij ſub ejus nomine publicati ſunt, videlicet *Iusjurandum, præceptiones, de lege, de arte, de Medico, de veteri Medicina, de decoro, de exſectione fœtus, de anatome, de corde, de glandulis, de dentitione, de viſu, Epiſtolæ, de purgantibus, & de hominis ſtructura.*

At ſanè quàm audacter & confidenter contra tot Eruditorum ſententiam hæc ſtatuerit, nunc paucis videamus, incipiendo ab ultimis, quos planè ſpurios aſſerit : nec id tam criticæ prurigine, quàm veri indagatione agamus.

Occurrit primò *Iusjurandum*, quod inquit Mercurialis, à Galeno non memoratur, & viro gravi indignum videtur, at fortè ore tenus diſcipulis propoſitum. Verùm ſi Hippocratis gravitate indignum fuit quod ſcriberetur, annon & indignum quod pro-

ponerétur. Adde quòd ex ipſius Jurisjurandi verbis, exſcriptum & non tantùm ore tenus propoſitum fuiſſe convincamur : *Deos, Deáſque omnes teſtor, me quantùm viribus & judicio valuero, quod nunc juro & exſcripto ſpondeo planè obſervaturum.* Illud itaque pro genuino admittere non dubitarunt Erotianus, Scribonius, Oribaſius, Suidas, Divus Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, & omnes ferè recentiores. *Lex* & liber *de Arte* pariter ab Erotiano & Galeno pro Hippocraticis recenſentur, cúmque nulla à Mercuriali excluſionis ratio afferatur, pro legitimis habendos cenſemus.

Librum *de veteri Medicina* intereſt penitius examinare, quem etſi ab Erotiano & Galeno receptum explodere voluit Mercurialis, ob unicam hanc rationem, quòd multùm detrahat primis qualitatibus, quas alibi maximi facit. Egregia ſanè ratio: pari enim forte libros aliquos Hippocratis expungere poſſem, quòd multùm tribuant primis qualitatibus, quas in hoc libro minimi facit. At

quidem primas qualitates non planè rejicit, ſed eas potiſſimùm vim ſuam exerere ait, humoribus acidis, amaris, ſalsíſve ſociatas. Nec ſanè hæc doctrina ſolius hujuſce libri eſt, ut aliena ab Hippocrate judicetur; ſed in aliis quoque reſperſa. Ita libro de natura hominis, qui ab omnibus pro legitimo habetur, de purgantibus differens, eorum quodque trahere ait, *quod naturæ ſuæ magis affine eſt, ſicut ſemina ex terra, ubi & acidũ, & amarum, & dulce & ſalſum, & cujuſque modi.* Et libro de carnibus. *Irrigata alimento ſingula incrementũ accipiunt, calidum, frigidum, glutinoſum, pingue, dulce, amarum, & oſſa, & reliqua omnia quæ in corpore inſunt.*

Libros *de Medico*, *de decoro*, & *Præceptiones* rejicit pariter Criticus noſter, eo quòd, inquit, ſtyli ſint ab Hippocrate diverſi, nugíſque conſperſi. At numquámne unus idémque Author ſtylum habuit diverſum, aut aliqua minoris eruditionis profatus eſt? Miranda ſanè in hiſce libris virtutis, modeſtiæque exempla, Chriſtianos ipſos pudore

ſuffundentia ; qualia ſunt quædam inter noſtros Aphoriſmos, initio Sectionis I. collocata.

Libellum *de Corde*, quamvis Galenus ab eo quædam mutuatus ſit, rejiciunt nonnulli hoc ſub prætextu, quòd animam & nervorum originem in corde ſtatuat. Verùm quòd ad primum ſpectat, videtur animæ nomine, immediatum ejus inſtrumentum calidum nativum intellexiſſe, flammulam illam vitalem quæ ex puriori ſanguinis parte nutritur. Quòd ad ſecundum, non quidem cor nervorum originem eſſe ait, ſed duntaxat cordis valvulas eſſe viſceris hujus nervos & aortæ principia, quod verum eſt. Præterea liber hic eximiè cordis Anatomen docet, verúmque eſſe muſculum, quod magni Hippocratis fœtum eſſe indicat.

Tractatum *de Glandulis*, quanquam à Galeno rejectum, quidni pro genuino habeamus, cùm ab ipſomet Hippocrate libro de Articulis indubitato ipſius fœtu, citetur? *Verùm*, inquit, *integra glandularum natura aliàs tractabitur, quódque exiſtant*,

& quæ in quoque indicent, quámque vim habeant: quæ ſanè apprimè executus eſt in eo tractatu, ubi & cerebrum & renes juxta accuratas recentiorum anatomicas diſquiſitiones, glandulas eſſe docuit.

Nec minorem fidem merentur, ſiquidem in contrarium ferè nil adducitur, libri *de dentitione, de viſione* qui videtur initium eſſe illius quem libro de affectionibus pollicetur, & *Epiſtolæ* quæ jam Plutarchi tempore Hippocrati tributæ fuerunt.

Quos in tertiam Claſſem reponit, non difficiliùs erit pleriſque ſuum honorem reddere. Librum *de natura pueri* citat ipſemet Hippocrates libro de morbis Mulierum: *Lac autem quomodo gignatur à nobis dicitur in libro de natura pueri.* Sicuti pariter libro de natura pueri, ſuum *de morbis mulierum* citat, & uterque pro germano ab Erotiano agnoſcitur.

De illis qui *de Affectionibus* & *de internis Affectionibus* inſcripti ſunt dubitat Galenus, ſintne Hippocratis vel Polybi ejus generi, priori ta-

men opinioni favere videtur, ultimúmque putat eundem esse quem antiqui librum *Majorem de morbis*, & nonnulli *de Empyis* inscribebant, quíque ab Hippocr. libro de articulis citatur : *Verùm*, inquit, *de his dicetur in diuturnis pulmonum morbis, ubi pulcherrima eventorum prognostica de iis fiunt.* Et libro de Affectionibus : *At ij quidem sunt morbi qui circa ventrem oriuntur, præter eos qui pus pectore colligunt & tabem inferunt, & qui Mulieribus contingunt : de iis enim seorsim scribetur.* Libros *de formatione fœtus, de sacro morbo, de sterilibus, de usu liquidorum, de crisibus, de insomniis, de fistulis, & de hæmorrhoïdibus*, jejunis admodum rationibus convellit, ideóque cum antiquis eos pro legitimis habere non desistendum.

Tres tandem *de diæta* immeritò expungit. Primum quidem ænigmaticum obscurúmque Hippocrate indignum judicavit Galenus. Verùm pace tanti viri dixerim, is fortè ob eam rationem in dubium librum

huncce vocavit, quòd videret non bene convenire cum vulgari de mixtorum compoſitione ſententia ex quatuor elementis, ſiquidem ſtatuit ex igne & aqua hominem & alia animantia conſtare. Quod enim ad obſcuritatem attinet, ea eſt Hippocrati familiaris. Cæterùm tantâ eruditione, artiúmque cognitione, tótque egregiis ſententiis refertus eſt, ut divino Sene digniſſimus ſit. Sic quis non miretur iſthæc ? *Divina mens edocuit homines ſua opera imitari, cognoſcentes quæ faciunt, & ignorantes quæ imitantur* : Et iſta, *Naturam verò Dij omnes certo ordine conſtituerunt. Quæ igitur homines ſtatuerunt, ea nunquam eodem modo ſe habent, ſive recta, ſive non recta ſint. Quæ verò Dij ſtatuerunt, ea ſemper rectè habent.*

Prædictis ergo ſi annumerenus libros à Mercuriali in prima & ſecunda Claſſe conſtitutos, habebimus omnes legitimos Hippocratis fœtus, nempe *ſex priores Aphoriſmorum Sectiones* ; aureum Prognoſticorum opus, quo Divini cognomen Hip-

pocrates assecutus est ; *de aëre, locis & aquis*, quem post varias peregrinationes edidit ; *de natura humana*, saltem usque ad mediam partem, cui subjuncta sunt multa diversi styli & inerudita ; *sex primos Epidemiôn*; *de alimento, de humoribus, de locis in homine, de flatibus*, qui à Galeno & Erotiano pro legitimis habentur, *de septimestri & de octimestri partu*, libróque omnes *Chirurgicos*, qui verè Hippocratis in Chirurgia exercitatissimi genium redolent.

Pro suspectis aut interpolatis tandem habebimus *Prorrhetica*, quæ Erotianus Hippocratis non esse affirmat, & Galenus Thessali, vel Polybi, vel Euryphontis esse vult : *Coacas* ab Erotiano omissas, quæ videntur ex Aphorismis, Prognosticis, aliisque Hippocratis operibus consarcinatæ ab ejus discipulis : libros *de superfœtatione, de salubri diæta*, quem Galenus modò Aristioni, modò Polybo, Philistioni aut Euryphonti tribuit : libros *de morbis*, qui judice Galeno Thessali, Polybi, Draconis, vel Medicorum Cnidiorum

rum fœtus ſunt. At quia in iis multa ſunt præclara ex Hippocratis doctrina mutuata, in Sectione noſtra Therapeutica plura ſeligere non dubitavimus, præſertim ea quæ cum hodierna praxi conſpirant, eámque illuſtrare valent.

His adjungendi liber *de natura muliebri*, qui ferè totus ex iis qui de morbis mulierum inſcribuntur decerptus eſt; *ſeptimus Epidemiôn*, qui Erotiano inter ἐπίμικτα ſeu interpolata collocatur; *Oratio ad aram*, *Theſſali oratio*, & *de ſtructura hominis*, & pauca alia quæ ſub Hippocratis nomine circumferuntur.

Præter omnia iſta opera, quædam ſunt deperdita, unde non mirum ſi multa ad Medicinam ſpectantia deſiderentur. Citatur apud ipſummet Hippocratem liber de venis & arteriis, cujus pars fortè eſt, quæ libro de oſſibus annectitur: *Venarum*, inquit lib. de Articul. *& arteriarum communicationes, quótque & quales ſint, & unde initium ducant, quámque in quibus vim habeant, alio in libro declarabimus.* Rufus Epheſius

venas quaſdam ab Hippocr. Dracontides vocari aſſerit, quod in iis quæ extant non legitur: ergo fortè in libro de venis. *Pharmacitidis* liber ab ipſomet Hippocr. ſæpè citatur. Memorat Galenus librum *de Septimanis*, quem pro ſpurio habet. At quis ille *Hexecontabiblos*, ſive ſexaginta libri à Suida citati, totam Medicinæ ſcientiam complectentes: Quatuor enim facit ordines librorum Hippocratis. 1. Jusjurandum. 2. Libros prognoſticos. 3. Aphoriſmos. 4. Hexecontabiblon, ἢ πολυτρύλλητος καὶ πολυθαύμαστος ἑξηκοντάβιβλος. In eo inſudarunt viri docti. Dicam quid putem, donec alius certiora. Detrahe *Jusjurandum*, *Aphoriſmos*, *& libros Prognoſticos*, nempe Prognoſticum, Prorrheticum & Coacas, tres priores claſſes conſtituentia; ſuperſunt circiter ſexaginta libri, qui veriſimiliter Suidæ tempore in unum volumen redacti fuere ſub titulo *Hexecontabiblos*. Hæc habebam præfanda. Nunc audiendus Præceptor ipſe.

ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ ΝΕΩΤΕΡΟΙ.

APHORISMI NOVI,

Ex Hippocratis operibus nunc primùm collecti, & in ſuas quique claſſes reducti.

SECTIO I.

Prolegomena & Phyſiologica continens.

I.

Τὰ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται: βεβήλοισι δ' οὔ. ὁ δὲ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπισήμης. Hipp. Lex.

Sacra ſacris hominibus com-

municanda: profanis verò nefas, priuſquàm ſcientiæ myſteriis initiati ſint.

Sententia deſumpta à Deorum Myſteriis & præcipuè Cereris, quibus Athenienſium Senatuſconſulto initiatus fuit Hippocrates. Religiosè enim vetitum erat aliquid ex his myſteriis, profanis aut quibuſcúnque non initiatis revelare: unde Præco ante Myſteriorum celebrationem pronunciabat, Ἑκὰς ἔστε βέβηλοι, *Procul eſte profani.* Ita Medicinæ non initiatos ſapienter excludit Hippocrates à Myſteriorum revelatione, ne ab eorum imperitia infamentur remedia, quæ aliis πολύχρηστα, hoc eſt, ſummè utilia fuerunt.

II.

Ibid. Οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ παῦροι βαιοί.

Medici nomine quidem multi: re ipsâ verò perpauci.

Rationem ſubjungit divinus Senex: *qui enim*, inquit, *Medicinæ*

scientiam sibi verè comparare volet, necesse est ut naturam nactus sit doctrinæ recipiendæ aptam, quâ repugnante irrita sunt omnia, tum etiam locum studiis commodum, institutionem à puero, industriam & tempus; quæ omnia rarò in uno homine reperiri possunt: unde etiamnum hodie, etsi multa ad studendum adminicula habeamus Antiquis denegata, putà Typographiam, Academiásque, multi tamen sunt nomine & gradu Doctores, at revera Docti perpauci.

III.

Ἡ ἀπειρία κακὸς θησαυρὸς δειλίης καὶ θρασύτητος τιθήνη· δειλία μὲν γὰρ ἀδυναμίαν σημαίνει· θρασύτης δὲ ἀτεχνίαν. Ibid.

Imperitia malus thesaurus timiditatis & audaciæ nutrix: timiditas enim impotentiam, audacia verò ignorantiam arguit.

Cùm indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget, inquit Plinius hist. nat. lib. 5. Menda-

cium enim & audacia aliquomodo ignorantiam tegunt.

IV.

De decent. habitu. Ἐν ἰητρικῇ ἀφιλαργυρίη, εὐτροπὴ, καταστολὴ, κρίσις, ἡσυχίη, ἀπάνθησις, καθαριότης, γνωμολογίη, ἀδεισιδαιμονίη, ὑπεροχὴ θεία.

In Medico esse debet pecuniæ contemptus, pudor, modestia in vestitu, judicium, lenitas, urbanitas, mundicies, recta elocutio, superstitionis aversatio, & præstantia summa.

Mira sanè & Hippocratis gravitate dignissima sententia, quæ sola huncce librum genuinum divini senis fœtum esse mihi persuadet. Ita pudorem commendat in jurejurando, & maximè circa rerum venerearum cupiditatem.

V.

Præcept. Οὐδέποτε ἰητρῷ λογισμὸς φθονήσειεν ἂν ἑτέρῳ: ἀκιδνὸς γὰρ ἂν φανείη.

Medicus ratione utens, nun-

quam alterum invidiosè calumniabitur : sic enim animi impotentiam prodet.

Solis Artium ignaris, inquit Senex noster, lib. de Arte, *hoc opus competit, qui ambitiosiùs contendunt, neque tamen improbitate suâ ullomodo præstare possunt, ut aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant.* Hos autem Medicastros, qui ex aliorum calumnia quæstum quæritant, ἐς ἰητρικὴν ἐμπορευομένους, quasi Artem nundinantes vocat : quemadmodum animas nostras negotiari Medicos imperitos argutè dixit Plinius : cap. 1. l. 29.

VI.

Ἢν γὰρ εἵνεκα ὁμίλου θέλῃς ἀνῤῥάσιν ποιήσασθαι, καὶ ἀγαπλεῶς ἐπιθυμέεις : μὴ μέντοιγε μετὰ μαρτυρίης ποιητικῆς. Ibid.

Si vulgi favorem tibi conciliare velis, non admodum tibi glorioſum erit : at ne ſaltem id cum oſtentatione poëtica fiat.

Id est, si coram vulgo disceptare aut de morbo coram Idiotis & plebeculâ differere velis, id non magnam tibi gloriam conciliabit : si tamen id vitare nequiveris, cave saltem ne cum affectatione fiat.

VII.

Epid. 6. Μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν ὑπερορᾶν.

Nihil temerè credendum, nihilque negligendum.

Interpretari etiam liceret, *nihil temerè agendum, nec tamen quicquam negligendum.*

VIII.

Præcept. Σφαλερὴ καὶ εὐπλαιστος ἡ μετ' ἀδολεσχίης ἰσχύρησις.

Fallax & ad errorem proclivis est asseveratio cum garrulitate conjuncta.

Nec asseverare oportet, subdit paulò infrà, *quòd unum aliquod exhibitum remedium profuturum sit. Morbi enim omnes ob varias circumstantias,*

mutationésque diuturniore sapè morâ ægrum obsident.

I X.

Τῆς ἰητρικῆς τὰ μὲν φλαῦρα, χαλεπὸν γνῶναι, τὰ δὲ σπουδαῖα, ῥηϊδιον. de Flat.

Artis Medicæ vilia quidem nosse difficile, seria verò facilius.

Fortè quia seria magis perpenduntur : *at vilia quidem*, subjungit Hippocrates, *ipsis Medicis, plebi verò minimè sunt cognita, cùm mentis, non corporis opera existant*, non secus ac alia majoris momenti.

X.

Περὶ τῶν ἀφανεστάτων καὶ χαλεποτάτων νουσημάτων δόξῃ μᾶλλον ἢ τέχνῃ κρίνεται : διαφέρει δὲ ἐν αὐτέοισι πλεῖστον ἡ πεῖρη τῆς ἀπειρίης. Ibid.

De obscuriſſimis & difficillimis morbis opinio magis quàm ars judicat : etsi in his pēritia multùm imperitiæ prævaleat.

Idiotæ verò non admodum co-

gnoſcunt Medicos illos qui præ aliis præſtant. *Hipp. de diæta in acut.*

XI.

Præcept. Ἢν παρῇ φιλανθρωπίη, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη.

Qui ſe humanum erga ægrotos præbuerit, is artis amore teneri cenſetur.

Multi námque ægri, ſubjungit Hipp. *cùm ſciant ſe periculoſo morbo affligi, etiam Medici probitate ſanitati reſtitutos eſſe celebrari gaudent.*

XII.

Præcept. Ἢν ὁ καιρὸς εἴη χορηγίης ξένῳ, τὲ ἐοντι καὶ ἀπορέοντι, μάλιστα ἐπαρκέειν τοιουτέοισι.

Quòd ſi occaſio ferendæ opis peregrino & egeno ſe obtulerit, iis maximè ſuccurrendum.

Sententia non ſolùm omni viro bono, ſed & Chriſtiano digna, quæ Medicos immiſericordes pudore ſuffundere debet.

XIII.

Ἰατρικὴ ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις: ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων. De Flat.

Medicina est additio & subtractio: subtractio quidem superfluorum, additio verò deficientium.

Hunc locum adducit Galenus in Isagoge & Method. medend. ubi legit ἀφαίρεσις τῶν πλεοναζόντων, quod idem sonat. Et idem declarat Hipp. lib. de natura hominis; *Curationem aggredi oportet, nunc quidem detrahendo, nunc verò addendo, ita ut, quemadmodum jamdudum dixi, ad singulas ætates & anni tempora & naturas & morbos, contrariam tum medicamentorum, tum victus rationem adhibeas.* Hic autem Aphor. referri potuisset ad Therapeuticam: sed quia est veluti quædam Medicinæ definitio, ideo ipsum hîc præfigere voluimus.

XIV.

Φύσις πάντων διδάσκαλος. De Alim.

Omnium rerum naturæ à nullo edoctæ ſunt.

Natura variè ſumitur. 1. pro materia prima. 2. pro Deo ſeu vi divinâ toti mundo inſitâ. 3. pro univerſa ſubſtantia temperiéque. 4. pro quavis innata vi corpora regente, quæ aliis calidum innatum vocatur: qua notione hîc ſumi videtur ab Hippocrate: ſicut & in alia ipſius ſententia, φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσιν, *Natura omnibus ſufficiens eſt.* Definitur à Platone, ſpiritus calidus ex ſeſe motus hominem generans, perficiens & conſervans. Plura ſi velis conſule Foëſij œconomiam Hippocratis.

XV.

De diæt. l. 1. Ξυνίσταται τὰ ζῷα, τάτε ἄλλα πάντα καὶ ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ δυοῖν, διαφόροις μὲν τὴν δύναμιν, συμφόροις δὲ τὴν χρῆσιν, πυρὸς λέγω καὶ ὕδατος.

Animantia aliáque omnia, & homo ipſe ex duobus conſtant facultate quidem diverſis, uſu verò conſentientibus, igne ſcilicet & aquâ.

Axioma tantoperè à Tachenio æstimatum, ut ex eo basim suo libro fecerit, cui titulus est *Hippocrates Chymicus:* idémque esse ait ac si asserat omnia ex Acido & Alcali constare. Ignem enim acidum, Aquam Alcali esse. Quæ duo, inquit, naturæ instrumenta primaria sub variis occultarunt nominibus. Lullius *Entia realia*, Basilius Valentinus *Asa & Phalaia*, & aliquando *Gladiatores* appellat. Alij ficto sub nomine *Re-Bis*, quæ tandem in Galenicorum Calidum & humidum coincidere videntur.

XVI.

Τὸ μὲν δυνάται πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι, τὸ δὲ ὕδωρ πάντα διὰ πάντος τρέφαι. Ibid.

Ignis quidem omnia semper movere: aqua verò omnia semper nutrire potest.

Ideóque, ait, *hæc ambo sufficientia sunt, tum aliis omnibus, tum mutuò sibi ipsis: utrúmque verò seorsim neque sibi ipsi, neque ulli alteri sufficiens est.* Quæ Chymicis magna videntur mysteria obumbrare.

XVII.

De nat. puer. Πᾶν τὸ θερμὸν τῷ ψυχρῷ τρέφεται τῷ μετρίῳ.

Omne calidum frigido nutritur moderato.

Quæcumque enim incaleſcunt ſpiritum emittunt, & alium viciſſim frigidum, quo nutriantur attrahunt. Ita ignis focarius niſi continuo aëris pabulo foveatur, extinguitur; & inſitus viventium omnium calor, niſi moderato aëris & ſpiritus nitroaërij appulſu recreetur & veluti nutriatur, ſubitò deficit.

XVIII.

Epid.6. Ἔκπνοον ἢ εἴσπνοόν ἐστιν ὅλον τὸ σῶμα.

Corpus totum tam foras quàm intro perſpirabile eſt.

Hinc inſenſilis morbificorum humorum per totum corpus tranſpiratio, quâ ceſſant morbi. Hinc tranſlatio humorum à cavitate ad aliam per ſemitas ſenſibus incognitas, veluti puris Empyicorum ad renes & veſicam,

vesicam, naturâ moliente vias, Medicis inexpertas & intentatas.

XIX.

Ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα. De Alim.

Confluxus unus, conspiratio una, consentientia omnia.

Hanc aphoristicam sententiam sæpè usurpat Galenus, iisdem ferè verbis. Ita lib. 1. de usu partium: Κατὰ μὲν ὁλομελίαν πάντα ξυμπαθέα, κατὰ δὲ τὰ μέρια, τὰ μέρεος ἑκάστου πρὸς τὸ ἔργον. Et lib. 2. de caus. puls. πάντα πᾶσι συμπαθέα, φύσις κοινή. *Omnia omnibus consentiunt*, iisque *natura communis*.

XX.

Ἀρχὴ μὲν ὁλομία οὐδεμία ἐστὶ τοῦ σώματος: ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ τελευτή. De locis in hom.

Nullum quidem corporis est principium: sed omnes partes æquè principium & finis sunt.

Descripto enim, inquit, *circulo principium non invenitur*. Sic de vena ca-

va loquens ; libro de oſſium natura ; *Atque hæc una unde exordium ſumat, & ubi deſinat, non ſatis mihi compertum eſt, circulo enim facto principium non invenias.*

XXI.

De Morb. l. 4. Τῷ αἵματι ἡ καρδίη πηγή ἐστι, τῷ δὲ φλέγματι ἡ κεφαλὴ, τῷ δ' ὕδατι ὁ σπλὴν, τῇ δὲ χολῇ τὸ χωρίον τὸ ἐπὶ τῷ ἥπατι.

Sanguinis fons eſt cor, pituitæ caput, aquæ, *ſive melancholiæ*, lien, bilis verò locus qui ad hepar eſt.

Cordis motum uſúmque legitimum indigitat hoc Aphor. Etenim ex ipſo tanquam ex fonte ſaliente ſanguinem in univerſas corporis partes protrudi inſinuat, dum cor ſanguinis fontem appellat, ubi notandum quòd non dicat fieri ſanguinem in corde, & meritò quidem, non enim cor, ſed ſanguis ſanguinis author eſt, dum ſcilicet ipſum ſuo colore tingit, variis deinde circulationibus perfectiorem futurum. Non

sunt igitur jam ab Hipp. alieni Neoterici, qui cor non sanguinis officinam, sed ipsius fontem & principium à quo movetur appellant. Patet quoque Hippocratem non secus ac Neotericos existimasse bilis secretioni destinatum esse hepar, melancholiæ lienem, pituitæ cerebrum, quod ideo frigidi & glutinosi metropolim vocat. Circa cordis usum idem censet Plato in Timæo: *Cor verò simul & venarum fontem, sanguinisque qui omnes corporis partes per alveos suos dimanat, inter stipatorum sedem Dij collocarunt.* Et Arist. 3. de hist. animal. c. 19. ait, *in corde primùm sanguinem generari, antequam corpus ipsum formetur.*

XXII.

Ῥίζωσις φλεβῶν, ἧπαρ· ἀρτηρίων καρδίη· ἐκ τούτων ἀποστλανᾶται ἐς πάντα αἷμα καὶ πνεῦμα, καὶ θερμασίη διὰ τούτων φοιτᾷ. De Alim.

Venarum radicatio hepar est, arteriarum cor: ex his per omnia sanguis & spiritus pervagatur, calórque per hæc permeat.

Foëſius interpretatur ita, Venarum origo tanquam radix hepar eſt, quæ interpretatio Moëbio non placet aſſerenti Hippocratem nuſpiam dixiſſe in hepate gigni ſanguinem. Conringius & Vanderlinden negant etiam ullibi patére quæ fuerit Hippocratis de jecore ſententia : liber enim de ſtructura hominis, ubi legitur, *Iecur autem ipſum alimentum triplici digeſtione in ſuccum redigit*, Hippocratis fœtus non eſt legitimus. Ait quidem lib. de nat. mul. *hepar gratioſi ſucci fontem eſſe*: unde videtur ambiguus fuiſſe in ſanguinis generatione, quæ ignotis tunc temporis Chyliferis vaſis, obſcurè duntaxat ab antiquis dignoſcebatur.

XXIII.

De oſſium nat. Τὰ ὀστέα τῷ σώματι στάσιν καὶ ὀρθότητα καὶ εἶδος παρέχονται.

Oſſa corpori firmitatem, rectitudinem ac formam præbent.

Hic Aphoriſmus explicatione non indiget, cùm per ſe intellectu ſit facillimus.

XXIV.

Τὰ δὲ νεῦρα κάμψιν καὶ ξυῶτασιν καὶ ἔκτασιν. Ibid.

Nervi verò flexionem, contractionem & extensionem.

Musculi propriè flexionem, contractionem & extensionem faciunt, sed ope quidem nervorum qui spiritus animales in illos à capite deferunt. Adde quòd Hippocrati nervi vocari videntur musculorum tendines. Ita libro de locis in homine, Τὰ δὲ νεῦρα ξηρά τέ ἐστι καὶ ἀκοίλια καὶ πρὸς τῷ ὀστέῳ πεφύκασιν, &c. Hoc est, *nervi verò sicci sunt, & cavitatibus carent & ossi adhærescunt, maximámque partem ab osse nutriuntur, etsi quoque ex carnibus alimentum habent, colorémque & robur inter os & carnem medium naturâ sortiti sunt.* Et paulo infrà: *Nervi autem articulos constringunt, per totum corpus distenti, potissimúmque validi & semper maximè crassi sunt, in his corporis partibus, in quibus paucissima carnes sunt.*

XXV.

Epid.6. Τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα σκεπτέα.

Continentia, impetum facientia & contenta ſunt conſideranda.

Celebris eſt iſta ſententia, quâ triplicem corporis noſtri ſubſtantiam complectitur Hippocrates, ſolidas partes, ſpiritus, & humores, quæ ab Aretæo στερεὰ, πνεύματα καὶ ὑγρά vocantur. Ut autem, inquit Galenus, eam ex qua corpus noſtrũ conſtituitur naturam probè Medico cognitam eſſe vult Hipp. ita certè in ejus triplicis ſubſtantiæ cujuſque proba & temperata commoderatione & ordine ſitam eſſe ſanitatem indicat. Ideóque uniuſcujuſque immoderationem aut vitium, quámque immutationem faciat conſiderandum eſſe hæc ſententia monet.

XXVI.

De aëre loc. & aq. Τῶν φύσιν τῆς χώρης ἐπὶ τὸ πλῆθος ἀκολουθεῖ τὰ εἴδεα τῶν ἀνθρώπων καὶ οἱ τρόποι.

Formæ & mores hominum magnâ ex parte naturam regionis sequuntur.

Ita Asiatici ex Hippocrate Europæis minùs bellicosi sunt, sed leniori-bus moribus, ob soli cælique clementiam, quæ nec animũ nec corpus vehementer percellit. Ita Phasis fluvij accolæ ob aëris humiditatem proceri, crassi, pallidi, effœminati. Ita Bœoti stupidi audiebant, quia *vervecum in patria, crassóque sub aëre nati:* Athenienses è contra acuti, eloquentes, quia siccum solum, purúsque aër iis erat. *Ligures*, inquit Cicero, Orat. contra Rullum, *montani*, duri, agrestes. Campani semper superbi bonitate agrorum & fructuum, magnitudine Urbis, salubritate & pulchritudine.

XXVII.

Ὁ ἐγκέφαλος ἔστι μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ πολλώδους. De Carnib.

Cerebrum metropolis est frigidi & glutinosi.

Non quidem cerebrum ipſum, ſed ventriculi ipſius cerebri. Etenim cerebri ſubſtantia quæ circumſepta eſt ſanguineis vaſis, & animalibus turgida ſpiritibus profectò non adeò friget : ſed cùm ſanguis qui ad corticalem cerebri ſubſtantiam appulſurus eſt, partem ſui ſeroſam deponat in ventriculos, quò purior & ſpiritibus animalibus cudendis aptior fieret, ideò magna fit in hiſce ventriculis ſeroſa, frigida, glutinoſáque colluvies.

XXVIII.

De Gland. Ἡ κεφαλὴ τὰς ἀδένας ἔχει, τὸ ἐγκέφαλον ἤκελον ἀδένι.

Caput glandulas habet, cerebrum nempe glandulæ ſimile.

Iſtud quaſi novum proferre geſtiunt recentiores Anatomici, ſed, inquit Plautus, *nihil eſt jam dictum quod non dictum ſit priùs* ; Lynceúmque noſtrum Senem pauca ſanè effugerunt.

XXIX.

Ἔχουσι ὴ καὶ οἱ νεφροὶ ἀδένας, ὃ γὰρ ἔστι πορίσκον πολλῆς ὑγρασίης. Ibid.

Sed & renes glandulas habent, hi siquidem multa humiditate redundant.

Et istud Bellini aliorúmque recentiorum Anatomicorum placitis consonum est, qui hac de re consulendi.

XXX.

Ὑγιεινότεροι εἰσὶ τὴν κεφαλὴν, οἱ τὰς πλέονας ῥαφὰς ἔχοντες. De loc. in hom.

Qui plures futuras habent, ij capite meliùs valent.

Iis enim meliùs caput transpirat, indéque minùs doloribus & fluxionibus obnoxij sunt, quæ à vaporum retentione & condensatione oriuntur.

XXXI.

Τῶν ἡλικιέων ὑγιηρόταται οἱ παῖδες, δεύτεροι νεανίσκοι, νοσερώταται δὲ καὶ πρεσβύταται καὶ οἱ ἔγγιστα. De diæt. l. 1.

Inter ætates pueri maximè ſani ſunt, deinde adoleſcentes, morboſiſſimi verò ſenes, & qui proximè ad eos accedunt.

Senes, ut pote debiliores, omnibus injuriis ab aëre & alimentis magis expoſiti ſunt, unde iis frequentiores morbi accidunt. Pueri verò vitæ principiis proximiores, & corpus tranſpirabilius habentes, tum etiam ab omnibus animi pathematis ferè liberi, omnium maximè ſani eſſe debent.

XXXII.

De corde. Ἡ καρδίη μοῦς ἐστι κάρτα ἰσχυρὸς, οὐ τῷ νεύρῳ, ἀλλὰ πιλήμαλι σαρκός.

Cor muſculus eſt validus admodum, non quidem nervo, ſed carnis denſitate.

Galenus negavit cor muſculum eſſe, quia muſculus eſt motus voluntarij inſtrumentum, nec iſtud Hippocraticum effatum verum eſſe, niſi intelligatur cor eſſe muſcu-

m motus naturalis : adde quòd ha-
:at, inquit, omnis generis fibras, at
uſculus unius tantùm generis, cùm
nam tantùm perficiat actionem. Alij
ɔncedunt quidem muſculum eſſe, ſed
ı ſua ſpecie, diverſum ab aliis, velu-
i & diaphragma. At Stenonius &
Louverus eximij hujus ætatis Anato-
mici ſolidis probarunt rationibus
cor verum eſſe muſculum : 1. quia ea-
dem habet, quæ in aliis obſervantur
muſculis, fibras, nervos, venas, ar-
teriáſque : 2. quia ejus fibræ, ut cæ-
terorum muſculorum, in medio car-
noſæ ſunt, in extremitate tendinoſæ.
3. Quia fibrarum uniformis eſt pro-
ceſſus, omnes enim in arcum intor-
tæ deſinunt in coni ſtellarem figu-
ram, ut ex ſchematis quæ ab ipſis
exhibentur videre eſt. Ita ut cordis
motus, nihil à cæterorum muſculo-
rum motu differat, niſi cauſæ effi-
cientis ratione, cùm iſtorum ſit planè
voluntarius, illius verò involuntarius
ob ſanguinem circulationis ope no-
bis incogitantibus perpetuò influen-
tem. Quam ſeſe movendi Diaſtoles
& Syſtoles ope miram facilitatem,

arguunt injecti liquores in animalium & hominum ipſorum defunctorum corda, quibus, modò nuper fato functa fuerint, motus reſtituitur, quaſi reviviſcerent & reſurgerent, ut docuit in Parergis ſuis Anatomicis eruditiſſimus Payerus. Doctrina igitur iſta muſculum eſſe Cor, non eſt nova, ſed ab Hippocrate mutuata & renovata, qui quidem validum eſſe ait, non ob nervi ſive tendinis fortitudinem, ſed ob carnis muſculoſæ fibrarúmque in ea multitudinem, denſitatémque. Tantùm ergo abeſt ut propter hoc dogma, ſicut aliquibus Criticis placet, expungi debeat hic libellus de corde, ex genuinis Hippocratis fœtibus, ut potius ex hoc veriſſimo axiomate colligam, non alterius eſſe Autoris præterquam divini ſenis fœtum. Nec regerat aliquis Hippocratem ſolitum eſſe muſculos carnium nomine duntaxat donare, quod quidem verum eſſe fateor, ſed tamen & muſculi nomen ab ipſo etiam alibi uſurpatum eſt, veluti in alia ſententia, quam in Aphoriſmos ſectionis Semeïoticæ referemus, ubi ait,

ait, *Musculos cæteris partibus citius colliquescere, exceptis nervo & osse.* Et libro de alimento, *Morborum differentiæ in alimento, in spiritu, in calore, in sanguine, in pituita, in bile, in humoribus, in carne, in pinguedine, in vena, in arteria, in nervo, musculo, membrana*, &c.

XXXIII.

Πνεύμων ἐναντίλιν σώματι τροφὴν ἕλκει. De Alim.

Pulmo contrarium corpori alimentum trahit.

Pulmo sanguine tenui & bilioso, cæterum verò corpus crasso & sanguineo propriè dicto humore nutritur. Nullum enim parenchyma habent pulmones, quod sanguinem crassum ad sui nutritionem requireret, sed ex meris constant vesiculis, dilatatisque vasis, quæ ut flexibilitatem suam ad jugem motum retineant, tenui alimento nutriri convenit. Hinc pulmones frequenter inflammatione & Erysipelate afficiuntur, quæ à sanguine bilioso præfer-

vido oriuntur. Inde lac eſt veluti pulmonum balſamum, acrimoniam ſcilicet & tenuitatem nimiam humorum temperando & incraſſando.

XXXIV.

De carnib. & de nat. puer.

Τὸ παιδίον ἐν τῇ γαστρὶ σωέχον τὰ χειλέα μύζει ἐκ τῆς μητρέων· ἕλκει τῳ τε τροφῳ ἐς τὸ πνεῦμα τῇ καρδίῃ εἴσω· ἕλκει μὲν ἀπὸ τοῦ αἵματος τὸ γλυκύταλον, ἅμα δὲ ἀπὸ τοῦ γάλακτος ἐπαυρίσκεται ὀλίγον.

Puer dum in utero eſt, ex utero alimentum ſugit compreſſis labris, tum etiam ſpiritum in cor attrahit: & quidem trahit ex ſanguine quod dulciſſimum eſt, ſimúlque aliquantulâ lactis portione fruitur.

Rationes ſubjungit Hipp. *Quòd ſi quis roget, unde hoc quis noſcit, quòd puer in utero trahat & ſugat, hoc illi reſpondere licet. Pueri cùm in lucem prodeunt fæces habere in inteſtinis conſpiciuntur, & ſimul ac in lucem*

untur tum homines tum pecora, æ per alvum secedunt. Atqui neque :es haberet, nisi in utero sugeret, que statim ac puer natus esset, ube- sugere nosset, nisi in utero suxisset. onfirmat Galenus libro de forma- one fœtus, cap. 15. *Nemo*, inquit, *jiciat ideò fœtum ore ali non posse, ia amnium membranam sibi opposi- m habet. Natura enim idonea est, æ per foramina facultatem viámque id quod convenit, aptam præbeat.* octrinam autem hancce Hippocra- am ferè sepultam restituerunt Re- ntiores. Harvæus de generat. Ani- l. in fœtus ventriculo materiam ueam reperiri asserit, sed turbidio- n, quale lac est cùm primùm præ- antibus mulieribus circa quartum :nsem è papillis emulgetur, & in :estinis superioribus chylum ex ea- n materia cocta. Bartholinus lib. vase Thorac. *In chorio membra- liquor flavescens, urinæ haud ab- ilis, in amnio candidior: ipsi ca- li aquæ huic innatant ore aperto & guis nonnihil exertis. In ventri- lo catellorum humor illi similis, qui*

in amnio concludebatur. Et Olaus Rudbeckius affirmat etiam, dissectis catellis se persimilem in ore & ventriculo mucilaginem reperisse, quæ intra amnium erat. At per os tantùm & semper nutriri fœtum, ut Epicurus & Democritus putabant, meritò negat Aristoteles : nam primis gestationis mensibus, os efformatum non est, ideóque nutritioni inservire nequit. Verisimilius itaque perfectis omnibus organis sensim aboleri nutritionem per abdomen, ubi scilicet fœtus circa quartum mensem moveri incipit, quia tunc plus alimenti requirit, succedere verò nutritionem per os.

XXXV.

De nat. puer. Γίνεται ἢ τὸ γάλα, ὁκόταν αἱ μήτραι ὀγκηραὶ ἐοῦσαι πιέζωσι τ κοιλίλιν τ γυναικὸς, κ ἀποστῆσᾶ τὸ πιόταλον ἀπό τε τ βρωτῶν κ τ πολῶν ἔξω, ἐς τὸ ἐπίπλοον, κ τὴν σάρκα, & ἐς τὰς μαζούς.

Gignitur autem lac, ubi uterus fœtu intumescens mulieris

entrem comprimit, & quod
ı cibo & potu pinguissimum
ſt foràs in omentum, & car-
em, & mammas profilit.

Unde videtur existimare immedia-
ė ex chylo lac generari, quæ mul-
ɔrum Recentiorum opinio est. Aiunt
nim chylum per lacteas venas &
ıoracicum ductum ascendentem, in
ėnam cavam & cor, inde san-
ıini permistum ad mammas per ar-
rias deferri, in quibus à copiosis
ɔi existentibus glandulis filtratur &
ſanguine segregatur, qui per ve-
ıs solus resorbetur & ad cor remeat.
nde lac assumptorum alimentorum
: medicamentorum odorem, ac
ım retinet, & subitò ferè à pastu
ɔplentur mammæ. Eandem autem
am de lactis generatione senten-
ım repetit Hippocrates lib. 1. de
orbis mulierum. *Quod enim ex ci-*
s ac potibus in sanguine est dulcissi-
um ad mammas vertitur & velut
:ugendo trahitur: reliquúmque cor-
ıs magis vacuari, minúsque san-
uine redundare necesse est. Ergo

non ex ſanguine propriè generatur lac, ſed ex eo quod in ſanguine dulciſſimum eſt, hoc eſt ex chylo ei permixto, qui compreſſis ab utero vaſis Chyliferis ad ſuperiora repit.

XXXVI.

Ibid. Ὅταν ἄκρα τὰ σώματος τὰ παιδίου ἀζωθῇ ἔξω, τότε καὶ κινέεται· καὶ ὁ χρόνος ἐς τοῦτο, τῷ μὲν ἄρσενι τρεῖς μῆνες, τῇ δὲ θηλείῃ τέσσαρες.

Cùm extremæ fœtus partes ramos emiſerint, tunc etiam movetur; neceſſariúmque ad hoc tempus eſt maſculo quidem tres menſes, fœminæ quatuor.

Moveri nequit fœtus niſi extrema, ubi deſinunt nerveæ tendinoſæque partes, motus organa, fuerint formata & cute retecta, quod paulo ante medium geſtationis tempus accidit: maribus ſcilicet circa tertium menſem abſolutum, citiúſque quàm fœminis, eo quòd illis ob tempe-

:m calidiorem & ficciorem, ſpiri-
s ſint vivaciores & muſculi fir-
iores.

XXXVII.

Ὁκόταν κινηθῇ τὸ ἔμβρυον οἱ μάζοι Ibid.
ονῦ, καὶ αἱ θηλαὶ ἐργῶσι, τὸ δὲ γάλα
χωρέει.

Quo tempore fœtus move-
ir, mammæ etiam attolluntur,
papillæ turgeſcunt, nec ta-
en lac prodit.

Tunc enim prægnantibus appeti-
s viget, qui primis geſtationis men-
ous fuerat dejectus; unde ex copio-
ori ingeſto cibo major chyli & la-
is fit copia: tùm etiam major ſan-
uinis quantitas requiritur, quæ ini-
o ad placentæ & fœtus ſubitam
cretionem, uteríque dilatationem
at neceſſaria. Qui quidem ſanguis
corpore mulieris redundans, in
ammas ſimul cum chylo regurgi-
t, nec tamen prodit lac, quia non
modum abundat, neque ſuctio
leſt, ſicuti dum enixæ puerum la-
:ant.

XXXVIII.

De Sept. & de octim. partu.

Ἀδύνατον πεφυκέναι παιδίον ἐν ὀγδόῳ τοῦ μηνὶ εἰς τὸ φῶς ἐλθόν.

Impossibile est vitalem esse puerum, octavo mense natum.

Fœtus namque septimo mense exitum molientes ex utero, alterationem patiuntur ac fatigantur; membranæ enim distenduntur, umbilicus vellicatur, dolores matris accedunt, fœtúsque pristino vinculo exoluti graviores evadunt: unde per quadraginta dies plùs aut minùs in utero post hunc laborem ægrotant: quòd si hisce superatis laboribus in lucem aliqua ex occasione prodire contingat octavo mense, eos tamen ob prædictas affectiones debiliores factos vivaces non esse docet Præceptor. Eandem sententiam expressis verbis inculcat libro de carnibus, ὀκτάμηνον γενόμενον οὐδεὶς βιοῖ πώποτε, *Octavo mense natus nullus unquam vixit.* Idem asserit Galenus libro definitionum Medicarum, ubi rationem affert, quòd numerus octavus

n sit criticus, sicuti septimus, par-
; autem sit crisεos species. Estque
:iquissima & receptissima opinio.
:nsorinus enim, libro de die natali,
omnes fermè negasse *mense nasci*
vaces octavo. Notarunt tamen
:istoteles & alij Autores in Ægy-
o sæpe vivaces esse octimestres,
iod tribuendum est soli, cælique
ius clementiæ, quæ eorum immа-
ritatem emendat. Non desunt qui
alibi vivaces asserunt, exemplís-
ie confirmant. Ita Plinius Cæso-
am Caligulæ uxorem octavo men-
natam refert. Ita Vincentium Pi-
llum virum eruditione celebrem
à cum sorore, octavo etiam natum
e aiunt. Nec etiam affirmationis
tiones desunt, quas eleganter olim
posuit Carolus Drelincurtius in
ita Quæstione, *An partus octi-*
estris vitalis, ubi sponte nascitu-
m octimestrem vitalem fore con-
udit, sed quidem minùs frequen-
r ac nonimestrem, sicuti & sanci-
t Aristoteles Hist. Animal. 7. cap. 4.
καὶ γὰρ τὰ ὀκτάμηνα ζῇ μέν, ἧττον δέ:
tenim octimestres quidem vivunt,
d rariùs.

XXXIX.

De ſept. partu. Τῶν ἑπταμήνων περιγίνονται ἐν πολλοῖς, ὀλίγα.

Ex ſeptimeſtribus ſuperſunt quidam inter multos.

Rationem ſubjungit, *propterea quòd ratio & tempus quo enutriti ſunt in utero, effecit ut ea omnia conſequantur, quorum etiam perfectiſſimi & qui maximè ſuperſtites evadunt, compotes fiunt, tum etiam quòd permutationem ſenſerunt, priùs à matre emiſſi, quàm octavo menſe ægrotarent.* Idem lib. 1. de Diæta: *Eodem etiam modo vitales naſcuntur quidam citiùs, ſeptimo menſe perfectè; quidam tardiùs nono menſe perfectè in lucem prodeunt.*

XL.

De nat. puer. Εἰσὶ τὸ πλεῖστον ξυμβαίνει ἀγαλάκτους εἶναι τὰς γυναῖκας τὰς ὀλίγα τὰ καταμήνια μεθιείσας.

Ut plurimùm contingit quæ pauca menſtrua habeant ſine lacte eſſe.

Sicciores enim sunt, & densiore poris habitu. Hipp. ibid. E contra æ copiosa habent *καλαμώνια*, sunt guineo temperamento, cúmque iis non sit sanguinis penuria, faciùs in lac convertitur Chylus. Unmirari quis potest cur in antiquis hor. 39. Sect. V. dixerit Hippotes, *si Mulier quæ neque gravida est, neque peperit, lac habet, ei strua defecerunt.* Si enim menorum suppressio morbosa lac geret; quidni connaturalis retentio etiam suppeditet. At dici potest n esse verum lac, sed serum potiùs lac nonnihil accedens, quod à pressis mensibus gignitur: nec pan esse rationem in eorum naturali fectu aut imminutione, cùm istud cam indicet temperiem materiam sumentem, ab aliis verò causis τῶν μηνίων suppressio accidat.

XLI.

Ἢν μὴ ἀποκένωϑ ἡ αἵματος ἡ γυνὴ, λαμβάνει ἐν γαστρὶ. Ibid.

Si mulier menstruâ careat

purgatione, utero non concipit.

Partes enim muliebres conceptioni deſtinatæ, humore dulci, roridóque non irrigatæ ſicceſcunt & detumeſcunt, ſeminíque maſculino recipiendo ineptæ fiunt : veluti terra viventium aliàs fœcunda parens, ſolitis imbribus privata, iners, ſterilíſque gleba fit. Huc referend. Aphoriſm. veter. Sect. 5. *Quæ frigidos & denſos habent uteros non concipiunt, neque quæ prahumidos habent, ſiquidem in iis ſemen extinguitur. Et quæ plus æquo ſiccas & adurentes, alimenti námque inopiâ ſemen corrumpitur.*

XLII.

Ibid. Τὰ μὴ ἐλάσσω τροφὴν ἐν τοῖσιν ἐμβρύοισιν ἔχοντα, θᾶσσον τίκτει : τὰ δὲ πλείω ὕστερον.

Quæ animantia minus alimoniæ fœtui ſuppeditant, celeriùs pariunt : quæ verò plus tardiùs.

Ita animalia quæ pauco abundant ſanguine,

nguine, veluti volatilium genus, pores, cuniculi, & similia celeter pariunt: & è contra vaccæ, equæ alia voracia animantia, tardiùs. nde concludere licet fœminas πολύμους, celeriter parere & sæpè abortre, nisi venæ sectione præcaveatur. iec obest Hippocratis nostri & aliom veterum præjudicium, quo *mulierem gravidam venâ sectâ abortire* nsebant: vel enim de venæ sectiolargâ manu, quæ tunc in usu erat, quuntur, vel de ea quæ primis fit ensibus, aut plethoræ signis non parentibus. In his enim omnino quiritur Medici judicium.

XLIII.

Τῇσι πυκνοσάρκοισιν ὕστερον τὸ γάλα ἰσημαίνει καὶ ἔρχεται: τῇσι δὲ ἀραιοσάρκοισι πρόσθεν. Ibid.

Mulieribus quæ denso sunt rpore, tardiùs apparet gigni- rque lac: iis verò quæ rarum rporis habitum habent, citiùs.

Si enim raro habitu fuerit mulier,

exudationem quæ ex omenti & stomachi compressione fit faciliùs recipit, cùm sint vasa latiora & minùs à circumstantibus partibus compressa. Idem confirmat lib. 1. de morb. Mulier. *Sunt autem quædam quæ naturâ lac non habent, eásque lac ante tempus deficit. Eæq; à natura solidam & densam carnem habent, ideóque cùm via densa sit, ex ventre ad mammas satis humoris deferri nequit.*

XLIV.

Ibid. Ἐκ τῶν τικτόντων μάλιστα πονέουσιν αἱ πρωτοτόκοι.

Ex puerperis præcipuè laborant primiparæ.

Eo quòd doloribus non assueverint, nec viæ adhuc dilatatæ fuerint. Major autem labor est si nondum viro maturæ, aut ætate provectiores sint.

XLV.

De nat. puer. Τὸ παιδίον ἐν γαστρὶ τῶτε στόμαλι καὶ τῇ ῥινὶ πλὴν πνόλω ποιέε.

Fœtus in utero ore & nari-us spiritum trahit.

Plerique existimarunt fœtum in tero non respirare. At affirmativam ocet Hippocrates in hac sententia, uam confirmat Galenus, libro, An nimal sit quod in utero continetur, ap. 3. Ad quam Eruditissimi Boylæi ptanda venit annotatio in experi-ientis Physico-mechanicis. *Nec vu-at nobis*, inquit, *Paradoxam istam Hippocratis in examen proferre sen-ntiam, quam docti aliquot Medici on ita pridem reanimarunt, scilicet œtum in utero respirare. Ex alia ium parte non facilè quis imaginabi-r, quomodo aër matris corpus trans-eare valeat, & tegumenta quibus etus involvitur. Et cùm natura, in fantulis recèns natis peculiaria & mporaria vasa excogitaverit, ut nguis per alios transitus circulare ossit, quàm solet in aliis indivi-uis, cùm liberiorem habent Pulmo-um usum, non est verisimile infan-es in utero propriè respirare. Cùm amen ex nostris pateat experimentis*

omne propemodum liquorum genus, interspersis aëris corpusculis, perinde ac aquâ abundare; non videtur absurdum si quis dixerit, grandescentem fœtum, præsertim cùm superior involventis Amnij pars liquore destituta sit, & halituosâ tantùm substantiâ compleatur, obscuram quandam respirationem exercere: præcipuè cùm non sit vana, ut multi iique scientes viri putant, fabula, infantulos in uteris matrum auditos fuisse vagientes. Etenim rarò quantumvis accidat, aliquando tamen observatum fuit. Et ipse Dominam quandam novi cujus Amici, cùm ea paucis abhinc annis prægnaret, apud me conquesti fuerunt, illam vagitu infantuli sui plurimùm multoties terrefactam. Idipsum ex simili comprobat, quòd nempe pulli audiantur sæpe pipientes in ovo, nondum perrupto putamine. Inde concludendum videtur cum Bartholino, fœtum in utero saltem ultimis mensibus, cùm maturitati & partui proximus est, sine magno tamen musculorum thoracicorum conatu respirare.

XLVI.

Τὸ σπέρμα ὅϛ κηρίον ἑκατέρωθεν ϛ ϛιος. De oss. nat.

Semen velut favus, ab utráue vesicæ parte fertur.

Malè igitur multi Herophilum vecarum seminalium primum indagarem statuunt, cùm hic honos meis Hippocrati debeatur. Quis enim on videt Hippocratem hoc Aphosmo vesiculas indigitasse seminas, adeóque quæcunque jam fusè neotericis de his partibus scribunr, non tam nova esse quàm renoata?

XLVII.

Ὥσπερ τοῖσι δένδρεσιν ἡ γῆ, οὕτω τοῖ- ζώοισιν ἡ γαστὴρ, καὶ πέσσει καὶ θερμαίνει, ψύχει· ψύχει μὲν κενουμένη, θερμαίνει πλησιμένη. De Humor.

Ut se habet terra in arboribus, ita in animantibus venter: calet, calefacit, & refrigerat: refrigerat quidem dum vacua-

tur, calefacit verò cum impletur.

Non ſecus ac, inquit, *ſtercorata terra hyeme calida eſt, ita etiam ventriculus.* Superveniens enim alimentum occaſio eſt fermentationi quæ in ventriculo fit, à qua calor accedit.

XLVIII.

De nat. hom. Εἰσί δε ϗ αἱ ἀπὸ τ κοιλίης φλέβες ἀνὰ τὸ σῶμα παμπολλαί τε ϗ παντοῖαι, δι' ὧν ἡ τροφὴ ἐν τῷ σώματι ἔρχετ.

Sunt autem ex ventre permultæ & variæ venæ, per quas in corpus alimentum defertur.

Ita libro de carnib. *Venæ quæ per ventrem & inteſtina feruntur, in quibus cibi & potus coacervantur, ubi hi incaluerint, id quod eſt tenuiſſimum & humidiſſimum attrahunt.* Quibus exiſtimant lacteas venas Hippocrati cognitas fuiſſe. Certiùs tamen eas noverat Eraſiſtratus antiquiſſimus Autor, quas lacteas arterias in meſenterio vocabat, quáſque

hœdis nuper natis concedit Gale-
s, lib. *an sang. contin. in arteriis*
Aristot. 4. de part. animal. refe-
nte Barbato. *Sicut stirpes radicibus*
ræ innixæ cibum inde hauriunt,
animantibus venter & intestino-
m vires pro terra sunt, à quibus
r venas lacti inditas accipiunt ali-
entum. Non ergo planè antiquis
cognitæ erant lacteæ venæ.

XLIX.

Μυελὸς τροφὴ ὀστέου. De Alim.

Medulla ossis alimentum.

Aristotelici medullam ossis excre-
entum esse censent: at veriùs Hipp.
Gal. proximam ejus nutritionis ma-
riam esse opinantur: quæ sententia
occe argumento confirmari potest,
iòd ossa per diuturnam elixatio-
em in gelatinam quandam medul-
liquatæ similem tota ferè resol-
untur.

L.

Ὑγρασία τροφῆς ὄχημα. Ibid.

Humiditas alimenti vehiculum
st.

Non humiditas quæcunque, ſed ea quæ ſerum & lympha à recentioribus vocitatur, cujus præcipuum officium eſt, chylum & ſanguinem fluidiores reddere, ut faciliùs in partes omnes penetrent, & in nutritionem faceſsant.

L I.

Ibid. Ἡ τροφὴ ἐς τρίχας, καὶ ἐς ὄνυχας, καὶ ἐς τὴν ἐσχάτην ἐπιφανείην ἔνδοθεν ἀφικνέεται· ἔξωθεν τροφὴ ἐπὶ τὴν ἐσχάτης ἐπιφανείης ἐνδοτάτω.

Alimentum in pilos & ungues, extimámque ſuperficiem ab internis partibus pervenit: rurſúſque ab externis partibus extimáque ſuperficie ad interna redit.

Circulationem ſanguinis hoc ſæculo ab Harvæo detectam non latuiſſe magnum Hippocratem textus hic evincere videtur. Quomodo enim alimentum, quo nomine ſanguinem intelligit, in extimas uſque corporis partes fertur, & ab externis ad

terna redit, sine circulari sangui-
s motu? At si sequentes aphoris-
os & 20. Sect. 2. addideris, ij
nul quasi demonstrationem effi-
ent: quanquam sanè non ita di-
inctè ab eo edocta fuerit, ut scili-
:t sanguinis impulsum per arterias,
:ditum verò per venas explicuerit:
: nemini mirum videbitur qui per-
:nderit multa Hippocratis opera
:riisse, præsertim verò librum
: venis & arteriis, quem citat ipse-
et libro de Articulis: *Venarum*,
quit, *& arteriarum communicatio-*
:s, quotque & quales sint & unde
itium ducant, quámque in quibus
im habeant alio in libro declarabi-
us. Hujus fortè libri reliquiæ in-
rpolatæ supersunt libro de ossium
atura & libro de natura hominis:
i quo ultimo hæc verba leguntur,
iæ & lacteas & lymphaticas venas
lumbrare videntur,& omnium cum
:nis arteriisque communicationem;
:næ enim nomine venam & arte-
am intelligit. *Existunt etiam ex ven-*
:e permultæ & varij generis venæ,
:r quas in corpus alimentum defer-

tur. Ferunt & alimentum à craſſis venis in ventrem & reliquum corpus & ab extra & ab intra, ſibique mutuò ſubminiſtrant internæ venæ externis, viciſsimque externæ internis. Et libro de locis in hom. *Hæ omnes venæ inter ſe communicant & fluentem humorem mutuò recipiunt : aliæ enim ſibi invicem concurrunt, aliæ per venulas à majoribus venis exortas.*

LII.

Ibid. Ἀρχὴ μεγάλη εἰς ἔσχατον μέρος ἀφικνέεται : ἐξ ἐσχάτου μέρεος εἰς ἀρχὴν μεγάλην ἀφικνέεται.

Principium magnum ad extremam partem pervenit : ex parte extrema ad magnum principium redit.

In priori ſententiæ parte Principium magnum ſanguis proculdubio eſt, principium ſcilicet nutritionis præcipuum. In ſecunda verò eſt cor, principium ſcilicet vitæ & primum vivens ultimúmque moriens, ad quod ab externis partibus ſanguis refluit.

LIII.

Περιόδοι ἐς πολλὰ σύμφωνοι, ἐς ἔμ- Ibid.
βυον καὶ ἐς τὸν τόκον τροφὴν· αὖθις
ἄνω ῥέπει ἐς γάλα, καὶ ἐς τροφὴν καὶ ἐς
ἔφος.

Circulationes ad multa conrunt, ad fœtum & ad illius imentum *deferendum*: rurſúſie ſurſum repit in lac, & in imentum lactantis pueri.

Sive circuitus ſive circulationes terpreteris, perinde eſt: at ſanè firı manet res ipſa: quo pacto enim ıguis & lac vitæ & nutritioni fœs deſtinata feruntur, & ab utero :ſum in mammas, ſine circulari ɔtu? Unde quia lac, ſanguis & ſpius, hoſce orbiculares motus abſolnt, circulationes plurali numero ıcitat. De lacte & ſanguine teſtis : hic Aphor. & præcedens. De ſpiu hæc ſententia lib. 1. de diæta, *iritus intro & foras permeat*: & ulò infra ubi ſtoliditatis rationem fert, eam accidere ait, quia *ignis*,

hoc eſt ſpiritûs, *tardior eſt circuitus, unde paulatim animi ſenſationes collabuntur.* De utriſque autem hoc divini ſenis effatum eodem lib. de diæta, *Qui nectunt aut texunt, fila in orbem ducendo plicant, à principio in principium deſinunt, quod eſt circuitus in corpore, unde incipit eodem deſinat:* Nec ſolùm circulationes agnoſcit Hippocrates in humorum motu locali, ſed & in alterationibus, ut citato libro: *Qui figlinam exercent, rotam verſant, quæ neque antrorſum neque retrorſum procedit, ſed utrámque in partem ſimul ad univerſi imitationem in orbem fertur. In ea autem cujuſvis generis opera, neque inter ſe ſimilia circumagendo perficiunt. Ex iiſdem eadem hominibus eveniunt, reliquáque animantia eodem circumactu omnia operantur, ex iiſdem nihil ſimile, iiſdem inſtrumentis, ex iiſdem ſicca & ex ſiccis humida efficiendo.*

LIV.

De carnib. Ἑπτάμερος ὁ ἀἰὼν.

Vita hominis ſeptem diebus circumſcribitur.

Id

Id est, ultra septem dies sine alimento vivere nequit homo, septimóque ad summum moritur: imò ubjungit Hipp. si quis post septem ies sine alimento transactos superes fortè sit, túncque comedere vet, eum nihilominus moriturum, jeuno scilicet intestino, ex nimia illa edia subsidente ac veluti conglutiato, sícque viâ alimento denegatâ.

L V.

Οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται Ἀστρολογίη ἐς ἰητρικήν. De aëre loc. & aq.

Non parùm ad artem Mediam confert Astronomia.

Astronomiæ cognitionem Medico tilem quidem esse vult, non verò, t multi nugantur Astronomi, omnio necessariam. Id autem suadet ectuum multorum combinatio, qui b Astris moventur, verbi gratiâ entorum, tempestatum, & terræ ugum, ex quorum variis alteratioibus varij emergunt morbi. Ita Hippocrates filio suo Thessalo Geo-

metriæ & Arithmeticæ ſtudium commendat, quibus acutiorem mentem & ſplendidiorem ad fructum eorum omnium, quæ in arte Medica uſui ſunt, acquirat. At nemo exinde putarit haſce ſcientias Medicis omnino neceſſarias eſſe.

LVI.

Ibid. Δεῖ γὰρ καὶ τὴν Ἄρκτων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι καὶ μάλιστα τὴν κυνὸς: ἔπειτα Ἀρκτούρου, καὶ ἐπὶ πλειάδων δύσεις.

Syderum enim ortus Medico obſervandi ſunt, præcipuè Caniculæ, deinde Arcturi, tum etiam Vergiliarum occaſus.

Quinetiam, inquit, lib. 1. de diæta, *ſyderum ortus & occaſus noſcendi ſunt, ut & ciborum & potionum exceſſus, ventorum & totius mundi mutationes, ex quibus ſanè morbi hominibus perveniunt, obſervare debet Medicus.*

LVII.

Ibid. Ἐπικινδυνόταται ἡλίου τροπαὶ ἀμφότεραι, καὶ μᾶλλον θερειναὶ, καὶ ἰσημε-

ειναὶ νομιζόμεναι εἴη ἀμφότεραι, μᾶλλον δ' αἱ μεθοπωρειναί.

Periculosissima sunt ambo olstitia, præcipuéque æstivum: iec non ambo æquinoctia, maximè verò autumnale.

Circa enim hosce tempestatum Cardines, magnæ fiunt tum in macrocosmo, tum consequenter in microcosmo, mutationes: unde sæpiùs morbis longis afflicti & præsertim tabidi circa Æquinoctium autumnale fato funguntur.

LVIII.

Χρυσίον ἐργάζονται, κόπτουσι, πλυνουσι, ἥκουσι πυρὶ μαλακῷ, ἰσχυρῷ δὲ οὐ δύνανται, ἀπειργασάμενοι πρὸς πάντα ξῶνται. De diæt. l. 1.

Qui aurum ad opus adhibent, undunt, lavant, blando igne quant, neque enim vehementi oit: quod ubi elaboraverunt d omnia utuntur.

Hunc Aphorismum magnæ famæ

Chymici citant, ut probent Hippocratem auri potabilis conficiendi modum delineaſſe, nec non ignis gradum in opere, quem ignis ordinem magni æſtimavit Galenus: *Ignis*, inquit, *non differt ab igne niſi majore vi ac minore : infirmiſſimus qui ex paleis, quare ad flandum aurum accommodatum eſt, eo quòd abſumatur & diffluat ſi validiorem flammam ſentiat.* Gal. cap. 5. in Lycum. Artem autem hanc χρυσοποιΐαν perantiquam eſſe non dubito, cùm φιλαργυρία ſeu avaritia jamdudum in hominum cordibus radices egerit, & auri ſacra fames varios excogitarit modos quibus ſatiari poſſet. Hinc putant ab Ægyptiis per modum cabalæ, & hieroglyphicorum ope, tranſmiſſam in poſteros hanc artem, & ab iis in Græcos & alias nationes derivatam. Unde ſuperſunt adhuc in Manuſcriptis Græcis varij tractatus περὶ ἱερᾶς τέχνης *de ſacra arte*, quo nomine Chymiam illam donarunt, ſæpius citati in Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis, nunc ſub prælo verſanti.

APHORISMI NOVI.

SECTIO II.

Pathologica.

I.

Ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοσός ἐστι. Epiſt. ad Damag.

Totus homo à natura morbus eſt.

Videnda in hunc Aphor. Erudita ac Elegans Theſis, à Guidone Patino olim Profeſſore Regio Pariſienſi, propugnata.

II.

Εἰ ἐν ᾧ ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν λάθοι. De nat. hom.

Si homo unum eſſet, neutiquam doleret.

Hoc eſt, ſi homo ex unico conſtaret elemento, vel humore, non eſſet ullum internum morbi principium, cùm oriatur morbus ex partium ſive continentium ſive contentarum lucta, vel exceſſu: *Siquidem multa inſunt in corpore quæ cùm mutuò inter ſe præter naturam caleſcunt & refrigerantur, ſiccantur & humectantur, morbos pariunt.* Ibid.

III.

De diæt. l. 1. Οὐκ εὐθέως αἱ νόσοι τοῖσιν ἀνθρώποισι προσγίνονται: ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμενα ἀθρόως ἐπφαίνονται.

Morbi derepente non accidunt hominibus: ſed paulatim collectâ materiâ morbificâ ſubitò ſe produnt.

Nec enim à cauſis ſaltem internis, tam citò animalis œconomia perverti poteſt, ut in ſtatum contra naturam ſubita mutatio fiat. Sic Apo-

lexia quæ derepente hominibus ac-
dit, non fieret niſi ſenſim colligere-
r ſeroſa colluvies, vel quæcunque
ia hujuſce affectus cauſa eſſe po-
ſt: ipſáque ad certam menſuram,
iam regere amplius nequit natura,
:rveniret.

I V.

Αἱ νόσοι γίνονται ϗ ἢ ἀπὸ τῆς διαί- De nat.
μάτων, αἱ τὲ ἀπὸ τ πνεύμαλος, ὃ hom.
χόμενοι ζῶμεν.

Morbi oriuntur tum à victus
ıtione, tum à ſpiritu cujus in-
ıiratione vivimus.

Generaliſſimas & frequentiſſimas
orborum cauſas hîc proponit, non
ıòd alia externa reperiri non poſ-
ıt præter illa, morbis occaſionem
æbentia, veluti ictus, lapſus, plu-
a, objecta animi pathemata pro-
oventia, ſed illa in communi ho-
inum vita, hiſce duobus quæ nul-
s vitare mortalis poteſt, infrequen-
ora ſunt.

V.

De Humor. Αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισι.

Mutationes potissimum morbos pariunt, tum quæcunque magnæ sunt mutationes in anni temporibus, tum in aliis rebus.

Hic Aphorismus præcedentis consectaneus est. Si enim à victus ratione & externo aëre quem respiramus oriantur morbi, necesse est ut subitæ mutationes circa alimenta aut aërem, alterationes magnas in naturali œconomia pariant, fundendo subitò quæ compacta erant, compingendo quæ fusa, refrigerando quæ calefacta, calefaciendo plùs nimio quæ refrigerata. Idem autem ferè docet Aphor. antiq. 1. Sect. 3.

VI.

De vet. med. Τὸ τῆς λίμυος μέρος δυώλαι ἰσχυρῶς ἐν τῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὑγιῶσαι, καὶ ἀσθενέα ποιῆσαι, καὶ ἀποκτεῖναι.

Fames plurimùm poteſt in ominum natura, tum ad ſani- item & imbecillitatem, tum ad iortem inferendam.

Alimentis reparatur ſubſtantia ro- da & ſpirituoſa corporis: unde non irum ſi iis deficientibus, magnum terſit ſanitatis & vitæ periculum. ioderatus verò eorum appetitus on parum ad conſervandam vel cuperandam valetudinem confert: ciborum enim copia gravatur ſto- achus, venæ crudis replentur ſuc- s, viſcera onerantur & obſtruun- r.

VII.

Τῶν ἀνθρωπίνων νοσημάτων ῥιζά ἐστι κεφαλή. Epiſt. ad Demetr.

Humanorum morborum ra- x eſt caput, ex eóque maximi lveniunt morbi.

Hæc eſt ſententia clariſſimi Vvil- , qui plures morbos ab aliis ute- , hypochondriiſque tributos, rebro nervorúmque principio af-

signat. Caput enim, ut inquit noster Author lib. 4. de morbis, tanquam cucurbitula corpori superposita facilè pituitosos humores attrahit.

VIII.

De morb. Ἡ κεφαλὴ καὶ ὁ σπλὴν, μάλιστα ἐπίνοσά ἐστι.

Caput & lien maximè sunt morbis obnoxia.

Caput quia nobilissimum, quia delicatioris texturæ, quia cæteris partibus tanquam cucurbitula superpositum est, quia vasis permultis penetratum, quia aëris injuriis expositissimum est, varios etiam patitur morbos. Lien verò non minùs iis obnoxius, quia instar spongiæ varios excipit pravos humores, infinitis vasis præcipuè arteriolis irrigatus, nec emunctorium quo expurgetur patens & sensibile habet.

IX.

De vet. Med. Ψυχρότητα καὶ θερμότητα πάσεων ἴσχια ἢ δυναμέων νομίζω δυνασεύειν ἐν τῷ σώματι.

Frigiditatem & calorem inter omnes qualitates, minimùm in corpore posse existimo.

Non ergo jejuna illa ætiologia morborum intemperies perpetuò accusans, placuit divino seni. Sunt nim caliditas & frigiditas comites potiùs aut soboles salsuginis, amaritiei, aciditatisve, quàm revera morborum causæ. Ita vacuatâ amaâ bile quæ nonnunquam magnas in corpore turbas excitat, cessat calor præter naturam & viscerum intemperies. Nullâ enim propriè intemperie laborant partes solidæ, sed soli humores eas permeantes, quibus correctis restituuntur & viscerum functiones.

X.

Ἔνι ἀνθρώπῳ καὶ πικρὸν καὶ ἁλμυρὸν γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στυφνὸν, καὶ πλαδαρὸν: ὅταν δή τι τούτεων ἀποκεκριθῇ καὶ αὐτὸ ἐφ' ἑωυτοῦ γένηται τότε καὶ φανερόν ἐστι, καὶ ὑπέει. Ibid.

In homine inest amarum, &

ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum: ubi verò horum quidpiam ſeparatum fuerit, & dominium obtinuerit, tunc conſpicuum fit & moleſtiâ afficit.

Doctrinam hanc ferè ſepultam & Ariſtotelicorum, Galenicorúmve placitis obrutam, noſtrâ ætate reſtituere conati ſunt Helmontius, Sylvius de le Boe, Tachenius & Helvetius. Idem repetit Hippocrates noſter in locis antehac in Præfatione noſtra citatis.

XI.

Ibid. Οὐ δὴ τὸ θερμὸν ἁπλῶς πυρεταίνουσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ' ἔστι ἡ πικρὸν ἡ θερμὸν τὸ αὐτὸ, ἡ θερμὸν ἡ ὀξὺ, ἢ ἁλμυρὸν ἢ θερμὸν καὶ ἄλλα μύρια.

Calidum ſolum non eſt febris cauſa, ſed ea eſt calidum & amarum ſimul, calidum & acidum, calidum & ſalſum, aliáque innumera.

Sic

Sic piper, allium ſimiliáque edulia
tſi calidiſſima minùs febrem exci-
ınt quàm fructus horarij aut lacti-
inia : Unde hoc, niſi quia iſta facilè
ı ſtomacho corrumpuntur & aceſ-
ınt, ſicque ab acido illo crudóve
umore in ſanguinem introducto, fit
:brilis fermentatio ? Idem de ſalſis
naríſque dicendum, ſive in corpo-
: genitis, ſive aſſumptis. Ea enim
ıaſſam ſanguineam acriorem, &, ut
a dicam, nimis Alcaliſatam efficiunt,
a ut deinde à levi chyli aut lymphæ
:iditate fermentetur. Sic Arthriti-
is & rheumatiſmi cauſa, ſerum eſt
.lſum & acre per renes non ſatis ex-
ırgatum, & ad articulos aut muſcu-
ıs exploſum. Quid hîc calor aut fri-
ıs agunt ? Quamminimùm ſanè,
ɔn tamen omnino nihil ; ſi enim ſe-
ım illud bilem ſecum duxerit, do-
ır augetur & febris, ſi pituitoſos
igidóſque humores, gravitas & tu-
ıor in parte affecta accedunt.

XII.

Ἆρα ὀξὺς χυμὸς ἀνεπιτήδειος τῷ λοι- Ibid.
ῶν μάλιστα ἔστι : εἴπερ ὁ γλυκύς γε
ἁπάντων ἐπιτηδειότατος.

Certè omnium humorum acidus maximè incommodus eſt : ſiquidem dulcis omnium maximè accommodatus exiſtit.

Is enim eſt frequentiſſima febrium cauſa : ſiquidem ex commixtione Chyli, puris aut aliorum quorumvis humorum putreſcentium & aceſcentium cum ſanguinis maſſa, quæ alcali abundat, efferveſcentia quædam quæ febris dicitur excitari ſolèt, quemadmodum ex ſpiritus vitrioli aut cujuſvis acidi cum oleo Tartari aliove Alcali permixtione, fermentatio ebullitióque ſenſibilis excitatur. Cujus phænomeni rationes videſis apud Tachenium in Hipp. Chymico, & tractatum Gallicum de Acido & Alcali.

XIII.

De diæt. in acut.

Αἱ ἀπὸ ὀξέος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρεσι : τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύει καὶ ἐκφλεγματοῦται μελεωριζόμενα ὑπ' αὐτέων, τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μελεωρίζει, καὶ πολλαπλασιοῦται.

Aceti aciditas bilioſis magis quàm melancholicis confert : amara enim diſſolvuntur & in pituitam vertuntur ab ipſo ſublimata :. melancholica verò ab eo fermentantur, ſublimantur& multiplicantur.

Acetum & alia acida , bili amaræ permixta , eam temperant & dulciorem reddunt , ita ut in pituitam faceſcat : dulcis enim quicunque humor corporis , pituitæ ſeu phlegmatis nomine ab Hippocrate deſignatur. Acidum verò & amarum ſunt ſapores ex diametro oppoſiti,ex quorum mutua diſſolutione & combinatione dulce ſubſtitur. Melancholia autem cùm ſit acida ab aceto acilior fit , fermentatur & multiplicatur.

XIV.

Γυναιξὶ δ᾽ τὸ ἐπίπαν πολεμιώτατόν , ἀνδράσιν ὄξος : ὑγιεναλγὲς γάρ ἐστι. Ibid.

Mulieribus autem acetum ongè magis adverſum eſt quàm

viris : uterum enim dolore afficit.

Quòd Acetum ſuapte natura nervos offendat experientia & ratio demonſtrant. Sunt enim exangues & frigidi, facileq; ab iis quæ refrigerant ſimul & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis, quale acetum eſt. Uterum autem Anatomici ferè omnes nervoſum eſſe dicunt. Galenus in hunc locum.

XV.

Epid.6. Υ"δωρ βορὸν ἢ ἀγρυπνίη βορόν.

Aqua, *ſive melancholia*, vorax & vigilia vorax.

Melancholici enim ſunt voraces, eo quòd melancholiâ in corpore abundante aceſcant omnia, & ventriculi fermentum acidius redditum famem intenſiorem creet, tum quia citò ab acido diſſolvuntur alimenta, tum quia ab acidi vi pungente & corroſiva, vellicationis ſictioníſve ſenſus in ſtomacho excitatur major. Vigilia etiam voraces homines facit, eo

ıòd ab ea ſpiritus & alimentum ıpenſiùs diſſipetur, ſícque majori paratione corpus egeat. Galenus men Aquæ nomine non melancho- ım, ſed aquam propriè intellexit, ıaſi voluerit Hipp. Aquæ potores aces eſſe, quod etiam verum eſt.

XVI.

Νοσήματα ἔχουσι τραυλὸς, ἢ φαλα- Epid. 2. ὶς, ἢ ἰσχνόφωνος, ἢ δασὺς, ἰσχυρῶς Sect. 5. λαγχολικά.

Balbus, & calvus, & exili oce præditus, & hirſutus, mor- s .conflictantur valdè melan- ıolicis.

Quia balbus, calvus, exili voce præ- ıus & hirſutus melancholici ſunt: ſi- t autem bilioſi in bilioſos morbos ilè incurrunt, ita melancholici in lancholicos. Addidit autem Hipp. *ldè*, quia cùm melancholici re- dia reſpuant vel negligant, hinc gentur ipſorum morbi & validio- fiunt.

XVII.

De loc. in hom. Τοῖσιν αὐτοῖσιν ὅτε σπλὴν θάλλει καὶ τὸ σῶμα φθίνει.

Iiſdem de cauſis & eodem tempore lien intumeſcit & corpus contabeſcit.

Ideo lien Principis fiſco comparatur. Fiſco enim repleto populi opes minuuntur. Lien autem à ſanguine tartareo impuróque tumet, unde ſanguinis maſſa per lienem tranſcolari & depurari nequit, tartareúſque & impurus remanet nutritioníque ineptus, sícque dulci & amico alimento defraudatum corpus exficcatur & contabeſcit.

XVIII.

De loc. in hom. Ὅταν τὸ σῶμα λεπτὸν ᾖ καὶ ὁ σπλὴν θάλλῃ, καὶ τὸ ἐπίπλοον αἷμα τῷ σώματι λεπτυνθῇ, ἢ πιμελὴ ἢ ἐν τῷ ἐπιπλόῳ ἐκτήκεται.

Cùm corpus extenuatur & lien turgeſcit, & unà cum cor-

)ore omentum extenuatum fue-
it, ejus pinguedo colliqueſcit.

Ubi verò, addit, *partes iſtæ pin-
uedine vacuæ fuerint, & ex liene
urgeſcente in omentum defluxerit,
uod cùm nimirum valde vicinum
xiſtat & vaſa vacua habeat, id ex-
ipit*: inde ſpecies quædam hydropis
)ritur ex liene & omenti pinguedine
:olliquefacta, de qua conſule Mal-
)ighium in Epiſt. ubi de vaſis pin-
guiferis, quæ Hippocrati cognita
uiſſe ex hoc loco aſſerit.

XIX.

Ἡ ἱερὴ νοῦσος γίνεται μὲν φλεγματίῃσιν, τοῖσι δὲ χολώδεσιν οὔ. De morbo ſacro.

Sacer morbus pituitoſis quidem contingit, minimè verò bilioſis.

Ab humore quocunque dulci, viſcido, quem antiqui phlegma vocarunt, fiunt obſtructiones in venis, à quibus oriri Epilepſiam ſequenti Aphoriſmo aſſerit. Id confirmat rara

obſervatio anno 1682. Lugduni facta, circa Epileptici cadaver apertum, præſentibus D. Falconet Collegij Medicorum Lugdunenſium Decano, & D. Marquis eidem Collegio Aggregato. Repertæ ſunt in variis Jugularium venarum ramis, obſtructiones à muco viſcido, & tartareo, ita ut gypſo infarcti viderẽtur: à quo impeditâ circulatione, lympha primò in cerebrum regurgitabat, & eum ſomnolentũ efficiebat, mox ubi acrior aut copioſior, inſultu epileptico tentabat: tandémque auctis illis obſtructionibus, ſanguis ipſemet in ventriculos cerebri extravaſatus majorem inſultum peperit, & è vivis ſuſtulit, ut aperto cranio manifeſtum fuit.

XX.

De Flat. Ἡ ἱερὰ νοῦσος γίνεται, ὅταν πολλὰ ἐμφράγματα γίνηται πολλαχῇ ἀνὰ τὰς φλέβας καὶ κωλύῃ τὸ αἷμα διεξιέναι· τῇ μὲν ἔστηκε, τῇ δὲ νωθρῶς διεξέρχεται, τῇ δὲ θᾶσσον.

Sacer morbus fit cùm obſtructiones multæ multis modis

circa venas contingunt, & ſanguinis motus prohibetur; atque hîc quidem ſiſtitur, ibi tardiùs permeat, alibi autem citiùs.

Ex qua, ſubdit, *ſanguinis per corpus tranſitus inæqualitate, variæ etiam inæqualitates contingunt.* Hîc autem ſanguinis motum, & quidem ubi ſanum eſt corpus, æqualem agnoſcit. Obſtructiones verò Epilepſiæ cauſas eſſe ſaltem remotas indicio ſunt in mulieribus menſtrua retenta aut imminuta, in viris hæmorrhoïdes ſuppreſſæ, in utriſque pallor, flatus, temperamentum pituitoſum. Ex quibus obſtructionibus ſanguis non difflatus nitroſulphureus evadit, ejuſdem naturæ ſpiritus creans: qui ſpiritus inflammati & nervos vellicantes inſultus Epilepticos gignunt.

XXI.

Αἱ ἀποπλήξιαι γίνονται ἢ αὗται δι' τὰς φύσας. Ibid.

Apoplexiæ oriuntur interdum à flatibus.

Ab humore glutinoſo oriuntur flatus, qui dum vaſa coarctant aut obſtruunt, ſanguinis & ſpirituum motum intercipiunt, unde motus & ſenſuum, qui horum ope functiones ſuas exercent, impedimentum & ceſſatio fit, quæ apoplexia vocatur.

XXII.

De morbis l. 2. Γίνονται καὶ ὅταν τὸ αἷμα ψυχθῇ, καὶ πήγνυται, καὶ κινηθῆναι δ' ἀδύνατον.

Fit etiam *Apoplexia* ubi ſanguis refrigeratur, coagulatur ac moveri nequit.

Hujus autem refrigerij ſanguinis ac coagulationis cauſam ibidem aſſerit eſſe atram bilem in capite agitatam, fluentémque ad cervicem & pectus. Quod cum grano ſalis ad Neotericorum mentem explicare licet, ubi ſcilicet ſanguis aduſtus, acidus, viſcidúſque caput impetens, quem atræ bilis nomine donare poſ-

ſumus, coagulatur in venis jugularibus, ſpirituúmque à corde ad cerebrum tranſitum denegans, ἄφωνος & apoplecticus decidit homo : quæ vera apoplexia ab Antiquis *Ictus ſanguinis* vocatur. Si autem ipſummet ſanguinem atræ bilis nomine inſignire nolueris, intellige ſi lubet quemcunque humorem acidum ſive à liene ſubminiſtratum, ſive à crudis, verminoſis, aceſcentibúſque in primis viis Chyli reliquiis, inde maſſæ ſanguineæ admixtis & ad caput delatis, à quibus nullus dubito quin ſæpius iſtæ ſuboriantur apoplexiæ. Proprium autem acidi eſt coagulare, & coagulando ſpiritus irretire ac refrigerare, ut norunt omnes Chymiatri. *Quòd ſi ſuperior evadat*, inquit Hippocrates, *adeo ut ſanguis incaleſcat, ſive ab his quæ offeruntur, ſive ex ſeſe, ſublimatur, fluidior redditur ac movetur, atque ita reſpiratione reſtitutâ, deſpumatur atque bilis illa atra excutitur, convaleſcitq; æger.* Mox addit; *Quòd ſi ex ebrietate ſic afficiatur, id enim ex ea contingere ſolet, moritur æger.* Ebrietas

autem ſanguinem & crudum ſimul chylum, ad caput ſapientiæ ſedem, nimio ſanè impetu mittere ac elevare ſolet, rarò autem atram bilem propriè dictam.

XXIII.

De loc. in hom.

Ῥόοι γίνονται ἢ διαψυχομένης τ̃ σαρκὸς λίαν, καὶ διαθερμαινομένης, & ὑπερφλεγμαινούσης.

Fluxiones contingunt tum perfrigeratâ carne, tum excalefactâ, tum ſupertumefactâ.

Perfrigeratis externis partibus ſupprimitur tranſpiratio, quæ ſummi eſt in vita momenti, unde qui tranſpirare debebat humor, in varias partes refluit, veluti cerebrum aut pulmones. Excalefactis autem ſupra modum quibuſcunque partibus, ſive externis, ſive internis funduntur humores, & in rarefacta à calore loca depluunt : idémque tumefactâ ſive inflammatâ parte accidit.

XXIV.

De glandul.

Ῥόοι ἀπὸ κεφαλῆς ἐπὶ, δι' ὤτων, δι' ὀφθαλμῶν

ὀφθαλμῶν, διὰ ῥινῶν, διὰ ὑπερῴης ἐς φαρύγγα, ἐς στόμαχον, διὰ φλεβῶν ἐπὶ νοτιαῖον, ἐς τὸ αἷμα.

Fluxiones ex capite septẽ ſunt, per aures, per oculos, per nares, per palatum in fauces, in ſtomachum, per vaſa in ſpinalem medullam, atque in ſanguinem.

Exponit hic Hipp. vias quibus contentus in capite humor ſuperfluus expellitur. De quinque primis nulla difficultas : ſed forſan non adeo pronum eſt concipere quomodo fluxio fiat à capite per venas arteriáſve, quas nomine φλεβῶν intelligit, in ſpinalem medullam & in ſanguinem : nullæ enim venæ nec arteriæ ſanguinem vehunt à cerebro in ſpinalẽ medullam, ſed ſolùm nervi eò pertingũt. At fluxionem in ſanguinem quod attinet, videtur hoc cum neotericorum invento conſentire, quo conſtat contentum in glandula pituitaria ſerum non delabi in palatũ, ſed abire in vaſa quædam lymphatica, à quibus mox in jugulares venas deducitur : ſícque

fluxio fit à capite in ſanguinem. Libro de locis in homine itidem fluxiones ſeptem à capite enumerat, *in aures*, *in oculos*, *in nares*, *in thoracem*, *in medullam*, *in vertebras* & *in carnes*, omiſſo illic ſtomacho.

XXV.

De diæt. in acut. Κυνάγχος γίγ ὅταν ὑπὸ τῆ κεφαλῆς ῥεῦμα πολὺ καὶ πολλῶδες ἐς τὰς σφαγίτιδας φλέβας ἐπιῤῥυῇ καὶ ἐμφράξῃ, τότε πνεύματος τὰς διεξόδους καὶ τῆ αἵματος ἀποφράσσον, τοῦτον πήγνυσι καὶ ἀκίνητον ποιέῃ.

Angina fit cùm multa & viſcida fluxio ex capite ad jugulares venas defluxerit, quæ ſpiritus ſanguiníſque vias occludens huncce coagulat & immobilem reddit.

Anginæ nomen aliquando pro Laryngis tantùm inflammatione ſumit, ut Epidem. 6. Sect. 7. text. 1. *Quibuſdam verò Pharyngis ſeu faucium inflammationes aderant, aliis angina.* Recentiores omnem Laryn-

gis & Pharyngis inflammationem Anginam apellant. Aliqui nimis curiosè eam distinguunt, κυάγχω vocantes si interiores Laryngis, συάγχω si Pharyngis internos musculos occupet, παρακυάγχω si externos Laryngis, παρασυάγχω si externos Pharyngis musculos obsideat. Legitimam præterea vocant quæ febrem comitem habet, spuriam quæ eâ caret: cujus speciem esse Riverius existimat istam quæ ab Hippocrate memoratur, viscidorum humorum venas jugulares obstruentium soboles. Verùm etsi ab humore frigido sæpius oriri possit, nihilominus ob accersitam inflammationem & febrem, solet omnino in legitimam verti. Eandem causam affert lib. 2. de morbis: *Oritur autem Angina, cùm pituita in capite agitata, deorsum confertim fluxerit & in maxillis ac circa cervicem constiterit.* Libro verò de locis in homine: *Angina à sanguine oritur, cùm sanguis in venis quæ in collo sunt concrescit:* Ubi observandum non tantùm à pituita venas obstruente fieri voluisse Angi-

nam, ſed etiam à ſanguine viſcido affatim ad has oras apellente. Coagulationem ergo ſanguinis, quæ ut & nimia ejus diſſolutio, maximi eſt ad morbos momenti, probè ab Hippocrate cognitam fuiſſe patet, neque eum ſolis qualitatibus primis, quæ ſæpe ſunt nuda duntaxat nomina, morborum cauſas tribuiſſe. Sanguinis autem coagulatio inflammationem & febrem accerſit, inflammationem quidem ratione moræ ſuæ in parte, impeditæ diffflationis, & conceptæ putredinis; Febrem verò quia qui coagulantur, ſaltem non omnimodè, liquores, etiam ex parte diſſolvuntur, párſque illa ſanguinis diſſoluta & glutinoſæ partis vinculo libera, fluidior, ferocior, calidiórque evadit: ſicuti à coagulato lacte ſerum fluidius & nitroſius ipſamet lactis maſsâ, ſecernitur.

XXVI.

Ibid. Ὁκόταν ἐν θερείνῃ ἢ μετοπωρείνῃ ὥρῃ ἐκ κεφαλῆς θερμὸν τὸ ῥεῦμα καταῤῥυῇ, καὶ νυκτῶδες, δάκνει, ἑλκοῖ καὶ πνεύματος ἐμπίμπλησι καὶ ὀρθόπνοια παραγίγ.

Cùm æſtate vel autumno ex capite calida & nitroſa fluxio deciderit, mordet, exulcerat, ſpiritu implet & orthopnœam parit.

Alteram Anginæ ſpeciem æſtate & autumno maximè accidentem proponit, cùm ſuperior hyeme & vere, ut ait, contingat. Fit autem ab humore acri & calido cui acuendo æſtas & autumnus operam dederunt, à quo trachea *arteria*, ſubjungit Hippocrates, *exulceratur*, *pulmo incenditur*, *neque externum aërem admittere queunt*, quod orthopnœam ſive reſpirationem erecta cervice parit; *quibus niſi ſponte ad exteriores cervicis partes deferatur*, *gravior & inevitabilior fit affectio*, *tum ob anni tempus*, *tum quòd à calidis & acribus fit humoribus*. Idem confirmare videtur lib. 3. de morbis, ubi in curatione Anginæ dicit venam eſſe ſecandam ſub mamma, ut ſcilicet pulmoni ſpiritu & ſanguine ſimul cum Larynge turgido, ſuccurratur:

hac enim, inquit, *ſpiritus de pulmone calidus ſequitur.* Ibidémque venæſectionem ex venis ſub lingua & ex cubitis, ſi vires valeant, commendat.

XXVII.

Epid. 6. Sect. 3. Ἡ δέρματος ἀραιότης, ἡ κοιλίης πυκνότης: ἡ δέρματος ξυώδεσις, ἡ σαρκῶν αὔξησις: ἡ κοιλίης νάρκωσις, ἡ τῶν ἄλλων ξύγχυσις, ἡ τῶν ἀγγείων ἀκαθαρσίη.

Cutis raritas alvi conſtipationem efficit; cutis coarctatio, carnium auctionem, ventris torpor omnium conturbationem & vaſorum impuritatem.

Qui rarioris ſunt texturæ iis multa fit humorum tranſpiratio, quâ auctâ neceſſe eſt alvum magis conſtipatam eſſe, abſumptâ ſcilicet humiditate, & tenuiori excrementorum parte per poros exhalante: cutis verò coarctatio alimentum per poros abripi non ſinit, roridámque ſubſtantiam retinet, unde corpus in majorem augetur molem. Ventris tan-

dem torpor cruditates & impuritates in primis viis congerit, unde appetitus dejectio, Chyli impuritas, humorum omnium agitatio & conturbatio; & vaſorum infarctus ac impuritates, morborum quamplurium parentes.

XXVIII.

Ἐμφραχθείσης τ κάτω κοιλίης εἰς ὅλον τὸ σῶμα διέδραμον αἱ φύσαι. De Flat.

Obſtructo inferiore ventre in univerſum corpus flatus diſcurrunt.

Conſtipatâ alvo neceſſariò refluunt flatus in varias corporis partes: ut & obſtructis à viſcida materia viſceribus, à qua excitantur flatus, quorum præpedito exitu, neceſſe eſt ut in corpus univerſum diſcurrant.

XXIX.

Οἱ ἱδρῶτες γίνονται ὅταν τήκεται πυ- Ibid.
θόμενον τὸ αἷμα καὶ τοῦ πνεῦμα καὶ σωιςάμενον ἐς ὕδωρ ἔρχεται διὰ τῶν πόρων διεξελθὸν, ἔξω πεφύκασι, τ αὐτὸν τρόπον

ὅνπερ ἀπὸ τῶν ἑψομένων ὑδάτων ὁ ἀτμὸς ἐπανιὼν, ἐὰν ἔχῃ στερέωμα πρὸς ὃ, τι χρὴ προσπίπτειν, πυκνοῦται.

Sudores oriuntur ubi sanguis incensus liquatur, oritúrque vapor qui condensatus in aquam mutatur, pérque poros subiens extra prorumpit: eodem modo quo à ferventibus aquis sublatus vapor, si ad solidum quid impingat condensatur.

Hunc Aphorismum citant Caneparius aliíque Authores, quo probent Hippocratem in Chymicis exercitatum fuisse, quippe qui distillationis modum hîc doceat. Sed sanè etsi non negarim distillationes quasdam, & alias Chymicas præparationes veteribus cognitas fuisse; ita non putem illos in artem Chymiam redegisse, sed cum Pharmaceutice conjunxisse. Confer & Aphor. novum 58. sectionis primæ.

XXX.

De vet. Med.

Τὰ κοῖλα καὶ ἐκπεπτωμένα ἐπιῤῥυείσαν

περὶ ὑγρότητα δέξαις πάντων : ἐπισπάσαις δ' ἂν οὐχ ὁμοίως.

Quæ cava ſunt & expanſa ea affluentem quidem humorem omnium maximè recipiunt : verùm non perinde attrahunt.

Ita ventriculus & inteſtina, totius corporis pravos humores veluti cloaca, recipiunt : verùm cùm cava ſint & laxa, non exſugunt, vel attrahunt. Quod Medicè dictum velim pro motu quodam fibrarum in ipſis partibus, quo humor in eas accedere cogitur : cùm phyſicè loquendo, quæ attrahi putantur, per veram impulſionem moveri ſit veriſimile.

XXXI.

Τὰ δὲ στερεὰ καὶ στρογγύλα, οὔτ' ἂν ἐπισπάσαις, οὔτ' ἂν ἐπιῤῥυεῖσαν δέξαις. Ibid.

At ſolida & rotunda nec attrahunt, nec humorem affluentem recipiunt.

Sic ossa, tendines, cartilagines, neque à partibus vicinis trahunt, nec nisi ægrè humorem affluentem recipiunt. Sic quo magis musculi solidi & rotundi, eo minùs humorum affluxum patiuntur.

XXXII.

Ibid. Σπογγοειδέα ὴ κὴ ἀραιὰ οἷς σπλὴν, πνεύμων & μαζοὶ, προσπαθεζόμενα μάλιστα ἀναπίοι, καὴ σκληρυνθείη, κὴ αὐξηθείη ὑγρότητος προσγιομένης.

Spongiosa autem & rara velut lien, pulmo, & mammæ, propè admota maximè exsugunt, eáque accedente humore indurescunt & tumefiunt.

Spongiosa vasis sunt pervia, fibráque omnis generis habent, ut pravos ex vicinis partibus succos recipere & exsugere queant: quibus tumefactis, & proinde vasorum & pellicularum flexibilitate ab impacto humore destructâ, indurescere necesse est.

XXXIII.

Ἐκπίπτει γνάθος ὀλιγάκις, σχᾶται μέντοι πολλάκις ἐν χάσμασιν. De Artic.

Maxilla rarò excidit, luxatur tamen plerúmque hiando.

Violentis motibus non eſt obnoxia maxilla, ideóque rarò excidit: verùm quia levi articulatione capiti connectitur hiando aliquando luxatur: quam luxationem niſi ſtatim reponatur, lethalem eſſe alibi pronunciat, convulſo crotaphite muſculo, qui ſurſum maxillam movet.

XXXIV.

Αἱ φθοραὶ τῆς τόκων χαλεπώτεραι εἰσιν· ὃ γάρ ὅτι τὸ βιαίως φθαρῆναι τὸ ἔμβρυον ἢ φαρμάκῳ, ἢ ποτῷ, ἢ βρωτῷ, ἢ ἄλλῳ τινί. De morb. mul. l. 1.

Abortus partu periculoſior eſt: nec enim ſine violentia abortus contingit, ſive medicamento, ſive potione, vel cibo, vel alia re quapiam.

Sententiam & ejus rationem continet : quæcunque enim contra naturam & magna vi fiunt , non poſſunt quin periculoſiora ſint , quàm quæ ſecundum naturæ legem. Ita fructus maturus ex arbore per ſe decidit , immaturus verò ſi abripiatur , frangitur rami pars cui adhæreſcit.

XXXV.

Epid.7. Τὰ πλεῖστα τῶν ὑστερικῶν αἱ φύσαι, σημεῖον οἱ ἐρρύγμοὶ, καὶ οἱ περὶ γαστέρα ψόφοι , καὶ ἐπάρματα ὀσφύος , καὶ περὶ νεφροὺς ἀλγήματα καὶ ἰσχία.

Uteri affectus magna ex parte à flatibus oriuntur. Indicio ſunt ructus , ventris ſtrepitus , lumborum tumores, renum coxendicúmque dolores.

Ex his verbis colligere licet divinum Senem alienum fuiſſe ab opinione vulgi & gregariorum Medicorum , qui omnes fœminarum affectus uterò quà utero adſcribunt ; cùm interim horum plurimi ab aliis cauſis

cauſis viris perinde ac mulieribus propriis, flatibus verbi gratiâ, oriantur. Et revera ineptum eſt exiſtimare uterum tam validis ligatum vinculis poſſe ad partes ſuperas dum incandeſcit aſcendere, hepar & diaphragma comprimere, & hac compreſſione ſpiritui vias præcludere.

XXXVI.

Γυναικεῖα τῇσιν ὑδαταινῇσιν ἐπιπολὺ παραμένῃ: ὅταν δὲ μὴ ταχὺ ἴῃ, ἐπισπάδίει. Epid. 6. Sect. 1.

Menſtrua aquoſis mulieribus diu perſeverant: quòd ſi celeriter non prodeant tumoribus conflictantur.

Ὑδαταινάς aquoſas mulieres quæ tenuem & aquoſum ſanguinem, gignunt, vocat, quibus ſi menſtrua ſuppreſſa fuerint, tumores & hydropem accidere metus eſt.

XXXVII.

Ἐπιμήνια μὴ ἐξερχόμενα, ῥίγεα καὶ πυρετὸς ποιέει. De morbis mul. l. 1.

Menſtrua cùm non prodeunt, rigores & febres excitant.

Neceſſitatem, exactúmque menſtruæ purgationis ordinem fusè docet Hippocrates libris de morbis mulierum: quâ ſuppreſsâ non ſolùm febres putridæ oriuntur, retento & putreſcente ſuperfluo humore, qui vacuari debebat, ſed & ſexcentæ aliæ ærumnæ.

XXXVIII.

Epid. 7. Οἱ διαλείποντες πυρετοὶ ὅτε κακοήθεις γίνονται, καὶ ἐς νοσήματα ὀξέα καθίστανται.

Intermittentes febres aliquando malignæ evadunt, & in morbos acutos tranſeunt.

Tranſlatâ ſcilicet materiâ à primis viis ad venoſum genus, & majorem putredinem concipiente. Malignum autem apud antiquos idem eſt ac mali moris, praviſque comitatum ſymptomatis. Febres enim malignæ propriè dictæ rarò ab iis memorantur.

XXXIX.

Αἱ βῆχες χειμῶνος, μάλιστα δ' ὲν νοτίοισιν. Epid. 5. Sect. 7.

Tuſſes hyeme vigent, præcipuè verò auſtrinâ tempeſtate.

Frigus conſtipando corporis poros retinet ſuperfluos humores, qui per eos tranſpirare debebant, unde accedente auſtro qui calidus eſt & humidus, funduntur & multiplicantur humores, qui in pectus frigore debilitatum delabentes tuſſim excitant: Sic in antiquis Aphoriſmis, *Frigida pectori inimica.*

XL.

Ἡ ὲν πλεύμονι φλεγμονὴ γίνεται μάλιστα ὑπὸ οἰνοφλυγίης καὶ γαστριμαργίης, ὁκόταν τὸ φλέγμα μιγὲν τῷ αἵματι ἐπιῤῥυῇ ἐπὶ τὸν πλεύμονα. De int. affect.

Inflammatio in pulmone oritur maximè ex vini ingurgitatione & alimentorum ingluvie, ubi ſcilicet pituita ſanguini permixta ad pulmonem affluit.

Inter prava alimenta quæ nimiâ copiâ aſſumpta pulmonis inflammationem accerſunt, notat hoc in loco Hippocrates præcipuè Capitones piſces & anguillas, quæ pituitoſa ſunt & pinguedinem naturæ infenſam habent: ſubjungit & nimium carnis eſum, κρεοφαγίων. Huic nimiùm indulgentes Pariſini, frequenter peripneumoniâ capiuntur, cui curandæ aut præcavendæ, in febribus aſſiduis, venæ ſectionem toties iterare coguntur Medici. Sed utrùm in ea exceſſus non fiat dubitant permulti. Videſis in Sectione 5. Therapeutica, quæ ad hunc morbum Hippocrates præſcribat.

XLI.

Epid. 7. Τὰ χολερικὰ ὲκ κρεοφαγίης, καὶ μέθης ἐυώδεως παλαιῆ, καὶ ἡλιώσιος, καὶ λαχανοφαγίης, καὶ ὀπώρης, καὶ σικύου πέπωνος, καὶ μελιτωμάτων, μᾶλλον ἢ ὲν θέρει.

Cholera morbus gignitur ex carnis nimio eſu, item ex vini odorati veteris ebrietate, inſolatione, herbarum, fructuum

horariorum, melopeponum & dulciariorum esu, maximè autem æstate.

Ex his omnibus crudi, acres, & bilioſi humores generantur, qui ventriculum & inteſtina onerando & irritando, choleram morbum excitant, quæ eſt acrium & bilioſorum humorum per ſuperiora & inferiora expulſio: quam ſæpe dolores, cardialgia, ſingultus & convulſio comitantur.

XLII.

Αἱ ἀδένες δ' καῖρια πονέυσιν, ἀλλὰ πῳ ἄλλῳ σώματι ξυμπονέυσι: ἐπὴν πονέυσι ὑπ' ἰδίης νόσου, φύματα γίνονται, χοιράδες ἀναπηδῶσιν, καὶ πῦρ ἔχει τὸ σῶμα. De Gland.

Glandulæ non admodum ægrotant: ſed cum reliquo corpore patiuntur: cùm autem proprio laborant morbo, tubercula gignuntur, ſtrumæ ſubſiliunt, febríſque corpus detinet.

Glandulæ rarò ægrotant quia ſunt partes parum ſenſibiles, & ignobiles: verùm cum reliquo corpore patiuntur, quia ſunt corporis emunctoria. Quia autem ad eas deferuntur vaſa lymphatica, aliquando plùs nimio Lymphâ viſcidâ replentur & obſtruuntur, unde ſtrumæ ſuboriuntur, glandularum propriè morbus, tum & alij tumores, ſanguine illuc appellente & remeare non valente, febribus continuis & erraticis comitati.

XLIII.

De intern. Affect.

Ὑδρος γίνεται ἢν τοῖσι πνεύμοσι φύματα ἐν τῷ πλεύμονι ἐμφυῇ, ἅπερ ἔχουσιν ὕδωρ καὶ ῥαγῇ ἐς τὰ στήθεα.

Hydrops ſæpè gignitur ubi tubercula in pulmone exoriuntur aquam continentia, quæ in pectus effunditur.

Rationem ab exemplo ſubjungit: *Hydropem à tuberculis oriri mihi argumento ſunt boves, oves & ſues. In his enim ferè quadrupedibus pul-*

monis tubercula oriuntur, quæ aquam continent. Sectione námque factâ id cognoveris, siquidem aqua effluet. Talia autem multò magis etiam in homine quàm pecoribus fieri videntur, quanto morbosâ magis etiam diatâ utimur. Hæc tubercula Recentiores Hydatidas vocant, quæ nihil aliud sunt quàm Lymphaticorum vasorum varices seu dilatationes, à Lymphæ in corpore restagnantis copia productæ: quæ non solùm in pulmone, sed & in hepate Hydropicorum observantur.

XLIV.

Ὁ ἀπὸ τ ἥπατος ὕδερος γίν, ὁκόταν ἐς τὸ ἧπαρ φλέγμα ἐπιγένηται, καὶ ἀναλάβῃ τὸ ἧπαρ καὶ ὑγρανθῇ. De intern. Affect.

Hydrops ab hepate oritur, cùm ad hepar pituita accesserit, eámque hepar acceperit & humectatum fuerit.

Ab humore pituitoso, ut pote viscido & lento, hepar obstruitur, & ab obstructione hepatis hydropem oriri

neceſſe eſt : ſiquidem hepatis officium eſt bilem ſecernere, quæ deinde per cholidocha vaſa tranſmiſſa in duodenum, ibi ſucco pancreatico occurrens ebullit, chylúmque fermentatione depurativâ exaltat & volatiliſat. Obſtructo itáque hepate cùm non ampliùs ſecernatur bilis, nec ad duodenum perveniat, chylus crudus ac ſemicoctus remanet: cúmque primæ coctionis vitia, in ſecunda non emendentur, à crudo chylo crudus ſanguis. Hinc tanta in glandulis conglobatis lymphæ fit ſecretio & in vaſis lymphaticis tanta ejus collectio, ut cùm huic retinendæ vaſa hæc ſint imparia, rumpi aut aperiri neceſſe eſt, ex qua lymphæ in abdomen effuſione hydrops oritur. Hepar itaque hydropem inducit, ubi ad illum accedit pituita, non propter frigidam intemperiem, quâ propriè laborare non poteſt cùm vaſis ſanguineis abundet, ſed propter obſtructionem, germanam prædictorum malorum parentem.

XLV.

Τὸ φλέγμα δριμέσι χυμοῖσι μεμιγμένον, ὅποι ἂν προσπέσῃ ἐς ἀήθεας τόπους ἕλκοῖ. De Flat.

Pituita acribus humoribus permixta, ubi in loca minimè assueta irruperit, ea exulcerat.

Pituita per se insipida est, sed ubi secum advehit acres, salsos, & corrosivos humores, necessariò partes illas ad quas adpellit, corrodit & exulcerat, præcipuè si in loca non assueta irruperit: etenim in ore & faucibus sæpe depluit salsa pituita acris & salsa, quæ tamen ibi ulcera non excitat, nisi acredine admodum auctâ, quia loca illa huic depluvio sunt assueta. Ita vesicam urina admodum salsa non lædit, quæ alias partes exulceraret.

XLVI.

Λέπρη, κνησμὸς, ψώρη, λειχῆνες, ἀλφὸς, De Affect.

καὶ ἀλώπεκες ὑπὸ φλέγματος γίνονται· ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα αἶσχος μᾶλλον ἢ νοσήματα.

Lepra *Græcorum*, prurigo, ſcabies, impetigines, vitiligo, & alopeciæ ex pituita oriuntur. Sunt autem iſta potiùs fœditas quàm morbi.

Oriuntur iſti morbi non ex pituita ſimplici, ſed ex pituita acri, de qua ſuprà dicebat, eam ulcera generare, quorum ſpecies & rudimenta ſunt ſcabies, vitiligines, prurigo, impetigines & alopeciæ. Quia autem multi ex recentioribus pituitæ voce offenduntur, ut cum iis bellum non excitem, pituitæ nomine ſi velint, intelligant lympham, ſerum, aliúmve quem voluerint humorem non ſanguineum, aliqua coctione aut excrementi cujuſpiam permixtione incraſſatum.

XLVII.

Epid. 6. Sect. 7. Ἕλκεα ἐκφύσιν μὲν ἀκάθαρτος ἰὼν πονήρη.

Ulcera erumpunt ubi quis impurgatus labori ſe dederit.

In laboribus, hoc eſt exercitationibus, calorem auctum ex profundo ad cutem ſuccos evocare alibi docuimus. Quando igitur priùs in corpore vitioſa materia cumulata eſt, acrimoniâ cutem erodit, atque ulcera efficit: quemadmodum cùm craſſi, glutinoſique humores ſunt, hepar, renéſque obſtruunt, in cute autem affectus cum tumore excitant. Galen. in hunc loc. Adde quòd à ſalſis humoribus, acidis, erodentibúſque ulcera oriantur, ut conjicere eſt ex remediis cauſticis, cathæreticíſque externis, quæ ex ſalibus lixivioſis, acribus, acidíſque parantur. Sicut autem Sales iſti cauſtici, ſi multâ diluantur humiditate, aut ſalibus volatilibus alcalicæ naturæ combinentur, vim ſuam exerere nequeunt, ſed evaporatâ illâ humiditate, & ab alcalium conjugio liberi, cutem profundè ulcerant: ita ſalſus ſanguinis ſeríque latex, dum ſufficienti diluitur aqueâ humiditate, dúmque volatilium, ſulphurea-

rúmque ſanguineæ maſſæ partium nexu irretitur, nullam parit moleſtiam: verùm ſuperveniente labore, qui plùs nimio aqueum illum laticem auctâ tranſpiratione diſſipat, volatiléſque ac ſulphureas particulas eliminat, neceſſe eſt ſerum nimis ſalſum inde fieri, ac conſequenter ulcera varij generis, in partibus præcipuè externis, motu ipſius à centro ad circumferentiam exercitationis ope adjuto.

APHO

APHORISMI NOVI.

SECTIO III.

Semeiotica.

I.

Ῥὶς ὀξεῖα, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι ξυμπεπλωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ ξυνεσταλμένα, καὶ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον σκληρὸν καὶ πεπεταμένον καὶ καρφαλέον ἐὸν, καὶ τὸ χρῶμα τοῦ ξύμπαντος προσώπου χλωρὸν ἢ καὶ μέλαν ἐὸν, καὶ πελιὸν, θανατῶδες. Progn.

Naſus acutus, oculi concavi, collapſa tempora, aures frigidæ & contractæ, cutis circa frontem dura, intenta & reſiccata, totiúſque faciei color

ſubviridis, niger aut lividus, lethale.

Hæc eſt illa facies Hippocratica vulgò dicta, ob traditam ab Hippocrate deſcriptionem, quæ humidi calidíque nativi conſumptionem, adeóque mox affuturam mortem indicat.

II.

Epid. 6. Ἀνθρώποις ὁ ἐν τοῖσιν ὠσὶ ῥύπος, ὁ μὲν γλυκὺς, θανάσιμος: ὁ δὲ πικρὸς, οὔ.

Aurium ſordes hominibus, dulcis quidem lethalis, amara verò minimè.

Dulcis Aurium ſordes magnam œconomiæ naturalis alterationem notat, cùm amara eſſe ſoleat, præſentiámque vel abſceſſus in cerebro, aliúdve magnum vitium functionum principum cerebri indicare videtur.

III.

Epid. 2. ſect. 6. Ἢν κεφαλὴ μεγάλη καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ σμικροὶ, ψαυλοὶ, ὀξύθυμοι.

Quibus caput magnum, oculi parvi, & balbutiens lingua, iracundi ſunt.

Temperies corporis calida ſicca, bilioſáque, iracundos homines facit, quos inter alia hiſce quatuor ſignis noveris; capite magno, calor enim dilatat; oculis parvis, quia tales humore ſuperfluo non abundant; balbutiente linguâ, à ſpirituum tenuitate ac mobilitate, cogitationúmque promptitudine.

I V.

Μεγάλη κεφαλὴ, ὀφθαλμοὶ μέλανες καὶ μεγάλοι, ῥῖνα παχείῳ καὶ σιμῷ, ἐσθλοί. Epid. 2. ſect. 6.

Quibus caput magnum, oculi nigri & magni, nares craſſæ & ſimæ, ij boni ſunt.

Qui capite ſunt magno, cum magnis oculis & naribus craſſis, ſunt temperamento pituitoſo, à quo dilatantur caput, oculi & nares, cùm cerebrum frigidi & glutinoſi ſedes

ſit, & humiditas non ſecus ac calor dilatet. Unde talibus retundentur animi affectus, & ipſos bonis moribus eſſe continget. Oculi magni pigritiam & ingenium tardum ſæpe denotant; at de grandioribus oculis diſſentientes opiniones videſis apud Portam lib. 3. Phyſiogn. Nigri oculi Phyſiognomicis manſuetudinem notant. Polemon enim & Adamantius cicura animalia nigrorum eſſe oculorum aiunt & manſuetiora, ſilveſtria eſſe glaucorum oculorum & agreſtium morum.

V.

Epid. 2. ſect. 5. Ὀκόσοι πυῤῥοὶ, ὀξύεινες, ὀφθαλμοὶ σμικροὶ, πονηροὶ. Ὀκόσοι ὴ πυῤῥοὶ, σιμοὶ, ὀφθαλμοὶ μεγάλοι, ἐσθλοί.

Qui fulvi ſunt, aduncis naribus & parvis oculis, mali. Qui verò fulvi, ſimi & grandioribus oculis, boni.

Fulvos ſive Ruffos Ariſtoteles callidos eſſe ait, οἱ πυῤῥοὶ ἄγαν πανοῦργοι: ὀξύεινας ſimis opponit, adun-

itate ad extremitatem naſi pertin-
gente, & nares acuente & elongan-
e, quæ ſubdolos & irriſores deno-
at, unde illa phraſis Poëtarum,
aſo ſuſpendit adunco. Non ergo
quilini naſi intelligendi ſunt, qui ab
mnibus commendantur, quorúm-
ue protuberantia à naſi rādice in-
ipit. De oculorum magnitudine &
arvitate, vide Galenum in arte
arva, & alios Phyſiognomiæ Au-
ıores.

V I.

Ἀσκαρδαμύκῃ, ὀξύθυμοι. Epid. 2. ſect. 6.

Qui inconniventes habent culos, iracundi ſunt.

Σκαρδαμύσσειν eſt nictare, ἀσκαρδα-
ύσσειν oculis fixis & immotis aſpi-
ere. Ariſtotel. lib. 1. hiſt. animal.
erpetuò nictantes oculos incon-
antiæ; rigentes verò & intentos
ıpudentiæ indices eſſe teſtatur. Hi
ıidem cùm duriori ſint palpebrâ,
ıæ calidioris ſicciorísque naturæ
ɔta eſt, non mirum ſi bilioſi & ira-
ındi ſint.

VII.

Epid.6. sect.4. Οἷσι πλεῖστον τὸ θερμὸν, μεγαλοφωνότατοι.

Qui plurimo calore abundant, magnâ voce ſunt præditi.

Caloris enim proprium eſt dilatare, unde à partium ſpiritalium dilatatione, magna fortiſque vox.

VIII.

Ibid. Θερμοκοίλιοι ψυχρόσαρκοι καὶ λεπτοὶ, ἐπίφλεβοι καὶ ὀξυθυμότεροι.

Qui calido ſunt ventriculo frigidas habent, carnes, & graciles exiſtunt, venas prominentes habent, & iracundi ſunt.

Quicunque enim, inquit Galenus, lib.2. de temperam. *latioribus ſunt venis, naturâ calidiores exiſtunt, qui anguſtis frigidiores. Caloris námque opus eſt dilatare & flatu diſtendere, quare non ſine ratione*

rè ſimul concurrunt, venarum uidem anguſtia cum habitu pinguio- e & craſſiore; habitus verò graci- s cum venarum latitudine.

IX.

Εὔπνοιαν χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην ἰώαμιν ἔχειν εἰς σωτηρίαν ἐν ἅπασι τοῖσι σήμασιν. Progn.

Facilè ſpirare magni momenti eſt ad ſalutem in omnius morbis.

Reſpiratio ſiquidem ſummi eſt ad itam momenti; facilè enim ſpira- partium thoracicarum libertatem idicat, unde liberis exiſtentibus ɔrde & pulmonibus, ſpes magna t, poſitis ponendis, materiam morificam naturæ vi foràs expulſum iri.

X.

Οἱ ψυχρῷ ἱδρῶτι ἱδρούμενοι, μακραὶς τὰς νοσέουσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: οἱ δὲ θερμῷ, ταχύτερον ἀπαλλάσσουσι. De Criſib.

Qui frigidum ſudorem emittunt, plerumque longis mor-

bis conflictantur: qui verò calidum, celeriùs morbis liberãtur.

Frigidus ſudor naturæ magnam debilitatem indicat, unde qui in agonia verſantur frigidum ferè ſemper ſudant: itaque longum morbum futurum ſudor ille ſignificat, cùm difficulter à natura ſuperari queat: calidus verò ſudor vegetiorem naturam, & celeriorem humorum motum teſtatur, quibus celeriùs morbum oppugnatum iri ſperare par eſt.

XI.

Progn. Τὸ πέλιον ἢ ἐμεσμάτον εἰ ὄζει δυσώδες, τάχιστα θάνατον σημαίνει.

Lividus vomitus ſi graviter olet, proximam mortem indicat.

Necroſim enim in aliquo viſcere indicat, quæ funeſta eſt, mortíſque rudimentum. Talis autem vomitus ſæpè accidit in deſperatis affectibus hypochondriacis, & morbo nigro Hippocratis, qui eorum

ſpecies eſt, in quibus computreſcunt hepar & lien, & tabo ſuo ſanguinem & alimenta inficiunt, unde ividus ille & niger vomitus.

XII.

Ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, οὕτω καὶ ὅλον. Epid. 6. ſect. 4.

Oculi ut valuerint, ita & otum corpus.

Galenus oculos divinum vocat nembrum, & caput à natura proter oculos formatum putat, cùm n illis totus conſpiciatur animus, tque oculus omnium animi pathenatum eximium & nitidum ſpecum : pathemata autem ſequuntur orporis naturalem & præternaturam temperiem. Irato homini *rutis ardeſcunt lumina flammis*; lætanti audent micántque oculi; timenti pudibundo demittuntur; ægro nguent & eorum minuitur vigor.

XIII.

Τραχὺλος ὀδυνώδεα, ὄμματα ἐξέρυθρα, ἰμπρῆσις. Prorrh. l. 1.

Cervicis dolores, oculi præ-rubri, hæmorrhagiam prænunciant.

Id namque ſanguinis impetum & raptum ad ſuperiora teſtatur, quibus hæmorrhagiam narium ſæpiſſime ſuccedere videmus: hæmorrhagiæ enim vocem ſæpius uſurpant antiqui pro ſanguinis ex naribus fluxu, etiamſi & aliquando pro cruoris ex aliis partibus effluvio.

XIX.

Epid. 2. ſect. 6. Οἱ μακρόβιοι πλείυς ὀδόνλας ἔχυσιν.

Qui plures dentes habent, ij vitæ longioris ſunt.

Idem pronunciat Ariſtoteles Hiſt. animal. l. 2. rationémque affert in Quæſt. naturalibus, quòd id ſignum ſit, validum eſſe cerebrum, & confirmat eo quòd inter animalia mares, qui quidem cerebro validiore ſunt quàm fœminæ, plures etiam habeant dentes. At iſtud quidem ſanitatem & longam vitam pollicetur, quòd

qui plures dentes habet & magis unios, ille meliùs cibos masticet, sicque prima coctio in ventriculo admodum juvetur, cujus vitia non facilè in secunda corriguntur.

XV.

Τὰ ἀνάπαλιν αἱμορῤῥαγέοντα, κακὸν: οἴτ' ἐπὶ σπλῆνι μεγάλῳ ἐκ δεξίων ῥέειν, καὶ τὰ καθ' ὑποχόνδριον ὡσαύτα, ἐφιδρῶντι τε κακόν. Coac. 1.

Quæ ex adversa parte fiunt hæmorrhagiæ malæ, velut in lienis tumore, si ex nare dextra fluat, quod & circa præcordia eodem modo se habet, pejùs autem si cum tenui sudore.

Istæ enim hæmorrhagiæ minùs ex parte affecta vacuant & tamen ægrum debilitant, præsertim si accedat & sudor tenuis à debilitate ortus. Quanquam autem sive suppositâ sive non suppositâ circulatione, indifferens esse videatur, affecto v.g.

liene ex utravis nare fluat ſanguis aut tundatur alterutrius brachij vena, experientia tamen ſententiæ hujus veritatem firmat.

XVI.

Prorrh. lib. 1. Οἱ παραλόγως κενεαγγείης μὴ ἐούσης ἀδυνάτοι, κακόν.

Quibus præter rationem ſine vacuatione vires proſternuntur, malum.

Sine cauſa manifeſta vires proſterni, certum indicium eſt cor & vitales ſpiritus à quibus procedunt, maligno quodam halitu aut humore ſuffocari, diſſiparíve. Inde in febribus malignis & peſtilentibus frequentes lipothymiæ accidere ſolent, quæ ſi fortiores tandem in veram ἀσφυξίαν, & flammæ vitalis extinctionem degenerant. Cæterùm vires & vita idem ferè ſunt, malum itaque vires titubare quocunque modo id fiat. Trifariam quidem vires proſternuntur, vel enim ſunt plethorâ oppreſſæ, vel largis evacuationibus

cuationibus exolutæ, vel deficiente naturâ aut præſenti cacoëthiâ extinctæ. Jam verò ſi ingens adſit plethora vacuatione ſtatim reficiuntur, ſi præceſſerit evacuatio quiete & analepticis citò reſarciuntur. Hæc itaque ἀσθένεια licèt mala ſit, multò minùs mala eſt quàm ea quæ contingit παραλόγως; difficile enim extinctos reficere ſpiritus, vel proprio fato ruentem ſuſtinere naturam.

XVII.

Δίψα παραλόγως λυθεῖσα ἐν ὀξέσι, Ibid. κακόν.

Sitis præter rationem ceſſans in acutis, malum.

Indicat enim mentis alienationem, quâ ſe ſitire ſive bibendi neceſſitate opus habere, non attendit æger: tum etiam, ut ait Galenus, facultatum & nativi caloris extinctionem, ſicut luculentum exemplum lib. 3. Epid. in Hermocrate qui febre aſſidua correptus, etſi lingua deuſta eſſet, non tamen ſitiebat, & paulò poſt in de-

lirium, ſoporémque incidit, tandémque mortuus eſt.

XVIII.

De deutir. Οἰκόβιοι παιδίοισι πυλὺ γαλακτῶδες ἀπεμεῖν, κοιλίην ξυνίσχειν.

Quibuſcunque pueris lacteus cibus multus revomitur, iis alvus ſiſtitur.

Cibus puerorum, lac videlicet, quamvis parvam in ventriculo ſubeat mutationem, majorem patitur in ipſis inteſtinis: terreſtriores enim ipſius partes, cùm nequeant tenuia lacteorum vaſculorum orificia penetrare, ſeparantur à purioribus, & fæcibus alvinis materiam præbent κάτω deinde deturbandam. Si itaque quidquid lactis ingeritur, evomatur, deficiente fæcali materiâ ſiſtitur alvus.

XIX.

Ibid. Οἰκόβιοιν ἐν ὀδυνηφυίῃ ἢ κοιλίη πλείω ὑπάγῃ, ἧσσον σπᾶν, ἢ ὕστως ὀλιγάκις.

Quibus in dentitione alvus crebriùs ſolvitur, ij minùs convulſionibus tentantur.

Obſervatum eſt equidem aliquando dentatos Infantes in lucem prodiiſſe; ſic refert Plinius Marcum Curium & Papirium cum dentibus natos fuiſſe, unde Curio nomen Dentati fuit impoſitum. Similes raras tamen hiſtorias alibi etiam legere eſt, ſed ut plurimum imò ferè ſemper, recèns nati dentibus carent ſaltem prominentibus foràs, revera enim dentes habent, ſed in gingivis ſepultos, ac inde tantùm circa ſeptimum menſem erumpentes, cùm verò duræ ſint gingivæ debeántque perforari ut pateát incluſis dentibus exitus, id ſine ingenti tenellulorum puerorum moleſtia & dolore fieri nequit. Hinc brevi accenſis ſpiritibus febres, & vigiliæ ſuccedunt, & tracto in ſympathiam cerebro oriuntur convulſiones, majores ſi ſileat alvus, minores ſi ſit libera; fuſi enim aſſiduis ejulatibus, & vigiliis humores, per alvum detur-

bantur, nec impingunt in nervos; sícque tentantur quidem pueri convulsionibus ratione doloris quem patiuntur, sed levioribus quàm si suppresså alvo, dolore simul & fusi humoris copiâ irritarentur. Loquitur autem hîc Hippocrates de primâ dentitione puerorum quæ accidit circa 7. à partu mensem, non verò de secunda quæ accidit circà 7. annum, etenim secunda hæc indolens esse solet, quoniam fuerunt jam perforatæ gingivæ.

XX.

De dentit. Τὰ μὲν βηχὸς ὀδοντοφυιεῦντα χρονίζει, ἐν δὲ τῇ διακεντήσει ἰσχναίνεται μᾶλλον.

Qui cum tussi dentiunt, iis tardiùs dentes erumpunt: in ipsa autem perforatione magis extenuantur.

Pluribus affectibus dentitionis tempore obnoxij sunt infantes, eósque partim enumerat in antiq. aphor. 25. libri 3. *In progressu verò cùm jam dentire incipiunt, gingivarum*

prurigines, *febres*, *convulsiones*, *diarrhœæ*, *&c.* Hîc tussim addit, quæ oriri videtur à saliva in ore ob dolorem gingivarum cumulatâ & in pulmones depluente. Dolor autem exquisitus indicat membranam gingivas ambientem duriorem esse & perforationi maximè obsistentem, unde tardiùs dentes erumpere nil mirum est: ut ita malè affectis pueulis, etiam in perforatione magis extenuari necesse est: præcipuè cùm tussis febriculâ & insomniis ferè semper stipata sit.

XXI.

Οἷσι παιδίοισιν ἕλκεα ἔξανθέει ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ ἐς τὰ ὦτα, καὶ ἐς τ' ἄλλον χρῶτα, καὶ σιελώδεα γίνεται καὶ μυξόῤῥοα, τούτοις ἢν ῥῆξα διάχῃ προϊόσης τῆς ἡλικίης. De Morbis sacr.

Quibus pueris ulcera in caput, in aures & reliquum corpus erumpunt, si salivosi & mucosi extiterint, ij procedente quidem ætate facillimè degent.

Isti enim pueri cerebro priùs humido donati, per hasce quanquam morbosas vacuationes, exsiccantur; proindéque organa à superfluitatibus libera, cerebrúmque functiones suas meliùs & sine impedimento exercent: unde colligere etiam licet fonticulorum ad cerebri regionem, collúmve applicitorum utilitatem, in quibus ars naturam imitatur, ulcera ope causticorum excitando, quibus serum aliive superflui humores quâ data porta eliminantur.

XXII.

De Morb. sacr. Ὁκόσα ἢ παιδία σμικρὰ καταλαμβάνει τῇ ἱερῇ νούσῳ, τὰ πολλὰ ἀποθνήσκει, ἢν πολὺ τὸ ῥεῦμα ἐπιγένηται, καὶ νότιον ἐόν; τοὺς ἢ πρεσβυτάτους ἀποκτείνει ἢ παραπλήκτους ποιέει.

Quicunque verò pueri parvuli sacro morbo corripiuntur, plerumque intereunt, si copiosa & humida fluxio fuerit valdè verò senes interimit aut paralyticos facit.

Tenellula puerulorum ætas tanto orbo qualis epilepſia eſt vix retere valet, ſi præcipuè copia ſit fluentium humorum, calore ipſom debili nimiùm exiſtente, quoes ſit morbificam materiam ſupeum iri. Idem de ſenibus decrepicogitandum, qui pauco calore undant, quorúmque organa omi debilitata, ſpiritus exhauſti, ſurfluíque humores in cerebro cuılati. Quòd ſi tamen validum ſacerebrum ſit, ut hancce materiam. neryos excutere poſſit., tunc paytici fiunt, ut quotidiana expentia non ſolùm in epilepſia, ſed & apoplexia nos docet.

XXIII.

Ἀπὸ τῶν φλεβῶν ὁτι ἂν νόσημα γίνηται, ὃ ἐστιν, ἢ ἀπὸ τῶν νεύρων. De loc. in hom.

Quicunque ex venis morbus itur, levior eſt quàm qui à rvis.

Diffluit enim unà cum humore in nis contento: nervi verò cùm ſiccii

sint, cavitatibus carent, & quicunque morbus ad eos accesserit, eodem loco firmatur, & consistit, nec nisi agrè expellitur. Hipp. ibid. Adde quòd nervi majorem cum cerebro parte nobilissima communicationem habent, quàm venæ: quódque difficiliùs ad nervos deferantur propinata remedia, quàm ad venosum genus, cujus viæ semper alimentis & medicamentis patent. Inde fit ut epilepsiæ, apoplexiæ, paralyses ita curatu difficiles existant, cùm in nervoso genere sedem habeant.

XXIV.

De nat. hum. Μέλαινα χολὴ ἡ ἐν τῷ σώματι ἐνέοντων χυμῶν γλισχροτάτῳ, καὶ τὰς ἕδρας χρονιοτάτας ποιεῖ.

Atra bilis, cùm humorum omnium quæ in corpore insunt glutinosissima sit, maximè diuturnas stationes facit.

Hanc sententiam profert rationem reddens quare febres quartanæ ita diuturnæ sunt: eas enim ab atra

bile oriri vult, unde nonniſi ægrè depelli poſſunt. Rationem etiam inde hauriemus quare morbi hypochondriaci ita ſint diuturni: certum enim eſt hoſce affectus oriri ex tartareis, atrabilariiſve humoribus, coagulationes in viſceribus, indéque inflationes & ſuffocationes parientibus. Atra autem bilis ſive ex bile amara deuſtâ ſive ex quocunque alio humore torrefacto oriatur, glutinoſiſſimam eſſe neceſſe eſt, conſumptâ nempe roridâ benignáque ejus parte. At glutinoſos humores difficiliùs pepaſmo ſubjici, & ex corpore eliminari quis neget?

XXV.

Μύξαι καὶ σίελα πλησμονῆς ἐπικρίσις. De diæt. lib. 3.

Mucus & ſaliva repletionem arguunt.

Ex magna alimenti copia, magnam etiam excrementorum provenire copiam ſatis evidens eſt. Unde ſi mucus & ſputa copioſiora excernantur, repletionem ſive laudabilium ſive

pravorum ſuccorum adeſſe indicium eſt. Prius plethora vocatur, ultimum cacochymia.

XXVI.

Epid. 6. Ἢν ἁλμυραὶ σάρκες γευομένῳ, πιεσμοῦ σημεῖον.

Si cui carnes guſtanti ſalſæ videantur, ſuperfluitatis indicium eſt.

Non modo linguæ color, ſed etiam ab ea perceptus ſapor ſuperfluos indicat humores. Sic quibus amaro ſapore infecta eſt lingua, omnia quamvis dulcia videntur amara, quod bilis redundantis, aut fuliginis ex magna humorum fermentatione elevatæ, ſignum eſt: quibus verò ſalſuginis ſapore imbuta, ſalſa omnia videntur, ſalſorúmque in corpore ſtabulantium humorum indicium eſt.

XXVII.

De nat. hom. Ὁκόσα ἢρ ἢ νοσήματα προσδέχεται χρὴ φθινοπώρῳ τῷ ἀπαλλαγῇ· ὁκόσα δὲ φθινοπώρινα, ἦρ.

Morborum qui vere oriuntur, Autumno liberatio expectanda est : Autumnalium autem vere.

De morbis Chronicis intelligendum est. Etenim acuti ab una anni tempestate ad aliam usque non perdurant. Cùm autem contrariis polleant qualitatibus ver & autumnus, non mirum si sæpissime terminentur morbi Autumno, qui vere inceperant, & è contra.

XXVIII.

Ὅτι δ' ἂν τὰς ὥρας ταύτας ὑπερβάλλῃ, εἰδέναι χρὴ ὡς ἐνιαύσιον αὐτὸ ἐσόμενον. Ibid.

Quòd si quis hæc anni tempora morbus superarit, hunc annuum fore sciendum est.

Ita febris quartana Autumno frequentissimè incipiens, sæpe terminatur vere, at nisi terminetur eo tempore, toto solet annò perdurare, imò & aliquando biennio.

XXIX.

De morb. Οἱ διαπνεόμενοι καλῶς ἀσθενέστεροι, καὶ ὑγιεινότεροι καὶ εὐανάσφαλτοι.

Quibus corpus probè transpirat, ij imbecilliores & salubriores existunt, promptéque ad sanitatem restituuntur.

Transpiratio maximi est ad vires vitámque momenti. Elegantem hac de re & verissimam sententiam profert divinus Senex. *Quibus*, inquit, *corpus probâ gaudet transpiratione, ij imbecilliores sunt* aliis, eo quòd simul cum transpirantibus humoribus vaporibúsque, spiritus virium parentes transpirent & dissipentur, attamen salubriores existunt, eò quòd hocce pacto pravi humores attenuati per poros eliminantur; si verò in morbú incidant, hujusce transpirationis beneficio promptè ad sanitatem restituuntur. Hæc omnia pueris accidunt qui magna gaudent transpiratione ob calorem & humiditatem abundantem, cutísque rariorem texturam

cam. Humiditas enim cutem relaxat & poros liberiores reddit: ſicut è contra ſiccitas cutem aridam & ſiccam efficiens poros conſtringit ac claudit.

XXX.

Οἱ διαπνέομενοι κακῶς, πρὶν ἢ νοσέειν ἰσχυρότεροι: νοσήσαντες δὲ δυσαπάσφαλοι. Ibid.

Quibus corpus malè tranſpirat, ij priuſquam ægrotent robuſtiores, cùm verò in morbum inciderint, difficiliùs reſtituuntur.

Ex iis quæ in ſuperiori diximus rationem hujuſce colligere licet: etenim quibus parva eſt tranſpiratio, pauci ſpiritus diſſipantur, ideóque ſanitatis tempore robuſtiores ſunt: at ſi in morbum incidant, difficilè reſtituuntur, quia per habitum corporis eliminari ſufficienter nequeunt pravi humores, retentíque majorem & diuturniorem in corpore perturbationem pariunt. De tranſpiratione conſulenda curioſiſſima & exa-

ctiſſima Sanctorij Statica Medicina, qui materiam hancce exhauſiſſe videtur. Miror tamen quomodo hanc duplicem de tranſpiratione ſententiam divini noſtri Senis, neque citarit, neque ſe vidiſſe ſaltem aſſeuerit, cùm inde non minima ejus opellæ authoritas conciliata fuiſſet.

XXXI.

De loc. in hom. Τὸ αἷμα ὁπόταν νόσον ποιέῃ, ὀδυνίην παρέχει· τὸ δὲ φλέγμα βάρος, ὡς τὰ πολλά.

Sanguis cùm morbum creat, dolorem inducit; pituita verò ut plurimùm gravitatem.

Sanguis ubi inflammatur ob ſpirituum copiam partes diſtendit & divellit, unde dolor, ubi verò extravaſatur ſuppurat, partéſque à pure diſtenduntur & corroduntur, quod ſine dolore tenſivo aut ulceroſo fieri nequit. At phlegma inflammationi & ſuppurationi ob frigiditatem & lentorem ineptum, pondere tantùm ſuo lædit, unde gravitas, aut dolor

gravativus, ut recentiores eum vocitant. Ita phlegmon à ſanguine ortus acuto dolore ſtipatur, cùm talpa, meliceris, ſteatoma pituitæ ſoboles, indolentes ac gravitate duntaxat incommodi ſint tumores.

XXXII.

Epid. 6.

Χλωραὶ γλῶσσαι χολώδεις, ἐρυθραὶ ἀφ' αἵματος, μέλαιναι δὲ ἀπὸ μελαίνης χολῆς, αὖαι δὲ ἀπὸ ἐπικαύσεως λιγνώδους, καὶ μυτρώδους, λευκαὶ δὲ ἀπὸ φλέγματος.

Linguæ pallidæ ex bile, rubræ ex ſanguine, nigræ ex atrabile, valdè reſiccatæ ex ſuccenſa fuligine & utero, albæ verò ex pituita.

Bilis coloris quidem lutei eſt, at ubi ſaliva diluitur, pallidum colorem creat, ut in lingua quæ bile & ſalivâ imprægnata eſſe poteſt. Sanguis linguam rubore ſuo tingit, ut in ſputo & vomitu ſanguinis, ipſomet ſanguine exteriori linguæ parte adhærente, aut in febribus Syno-

chis ſanguine in omnibus vaſis ferociente & conſequenter linguâ, quam plurima ſanguinea vaſa pervadunt, inde rubeſcente. Nigræ ex atra bile, aduſto videlicet humore, calor enim denigrat, diſſipato ſero humores diluente, unde opacitas & nigredo. *Multùm Reſiccatæ*, inquit Galenus, *ex febre urente fiunt, quæ ad inſtar ignis ſanguinem adurens, fuligini potiùs quàm vapori ſimilem exhalationem efficit, ideóque etiam nigræ plerumque ejuſmodi lingua apparent.* Et libro 8. de placitis Hippocr. & Platon. *Quemadmodum enim ex rebus externis fuligo circa lucernas, faces, aliáque multùm pinguia gigni conſuevit, ita in animantium corporibus, ſæpenumero exaſſatis humoribus, præcipuéque pinguibus, aliquid fuligini affine gignitur.* Utero autem malè affecto plurimi vapores acres ad ſuperiora feruntur, unde ſæpe lingua non ſolùm arida fit, ſed & quaſi colligatur, ut ἄφωνοι evadant mulieres. Albæ tandem ex pituita, quæ linguam ſuo inficit colore.

XXXIII.

Νάρκαι καὶ ἀναισθησίαι γινόμεναι πρὸς τὸ ἔθος, ἀποπληκτικῶν συμβουλίων σημεῖον. Coac.

Torpores & ſtupores præter conſuetudinem advenientes, futuram apoplexiam vel paralyſim denunciant.

Sicut integra nervi obſtructio paralyſin parit, ita dimidiata torporem & ſtuporem. Apoplexiam verò retentus in capite humor idem qui excuſſus in nervos parit. Quoties itaque torpores & ſtupores præter conſuetudinem, notatu digni accidunt, ſignum eſt cerebrum quamplurimis ſcatere excrementis præcipuè ſeroſis, quorum portio decidens in nervos ſtuporem ſive ſenſus diminutionem parit: quòd ſi fortè majori copiâ congerantur in cerebro hæc excrementa ibíque retineantur apoplexian inducent, ſi verò in nervos amandentur paralyſin. Meritò autem addit Hippocrates præter con-

conſuetudinem : ſunt enim aliqui, ut qui flatibus abundant, à natura torporibus & ſtuporibus obnoxij, in quibus ideo ſtupores & torpores nihil ſiniſtri portendunt.

XXXIV.

Prorrh. Οἱ ἀποπληκτικοὶ οἷσι μὲ τῷ δυνάσθαι κινέειν λεπτύνεται τὸ νευρῶδες τοῦ σώματος, ἤτοι ἀδυνάτοι εἰς τοῦτο καθίστανται.

Paralytici quibus præter motus impotentiam, pars corporis affecta extenuatur, incurabiles ſunt.

Non ſolùm enim arguit partis extenuatio defectum ſpiritus animalis, ſed incipientem caloris nativi extinctionem, cujus tamen vis requiritur ad ſuperandam materiam craſſam à qua nervus obſtruitur. Adde quòd ubi pars non nutritur arida fit & contrahitur, ſícque anguſtiores ipſius meatus efficiuntur, adeò ut ſpiritibus animalibus magis adhuc ſit impervia.

XXXV.

Οἱ ληθαργικοὶ τρομώδεες ὑπὸ χειρῶν, ὑπνώδεες, δύσχρωτες, οἰδηματώδεες, σφυγμοῖσι νωθροῖσι, καὶ μετάρσια τὰ ὑπόφθαλμια καὶ ἱδρῶτες ἐπιγίνονται. Coac.

Lethargici manibus tremen-tes & ſomnolenti ſunt, malè colorati, tumidi, pulſus habent tardos, & quæ ſub oculis ſunt ſublata, ſudoréſque ſuperve-niunt.

Non omnia hæc lethargicis om-nibus ſymptomata eveniunt, ſed mo-dò aliqua tantùm, modò omnia, modò & multa alia; non enim om-nes lethargici æquè ægrotant, & ſi-cut alij morbi, ita & lethargus pati-tur magis & minus, graviùs & leviùs affligit. Poſſunt verò facilè recenſita mala lethargum comitari, cùm lethargus oriatur à copia ſeri putris univerſam cerebri ſubſtantiam irrigantis, ita ut torpidi animales facti ſpiritus in partes ſicut ante non influant, neque debita rationis

memoriæ, phantaſiæve obire munia, manibus itaque tremunt, propagatione lethargicæ cauſæ à parte poſticâ cerebri in cervicem à qua manuum nervi oriuntur. Somnolenti ſunt, ſpiritibus animalibus præ torpedine ad organa ſenſuum non ampliùs aut ſaltem minùs partes influentibus. Malè colorati facie ſuperfluo humore ſaturata: pulſus habent tardos, ſpiritibus animalibus tardè ad movendum cordis muſculum deſcendentibus: à tardo ac parvo cordis motu parvus arteriæ motus; habent ὑποφθάλμια ſublata turgidulis à collecto illic ſero aut flatuoſo ſpiritu palpebris inferis; ſudores ſuperveniunt propter materiæ copiam vel naturæ imbecillitatem.

XXXVI.

Prorrh. Κωμαλώδεες, κοπιώδεες, ἀχλυώδεες, ἄγρυπνοι, ἐφιδρῶσες πυρετοὶ, κακοήθεες.

Febres quæ ſunt cum ſopore, laſſitudine, oculorum caligatione, inſomniis, ac tenuibus ſudoribus, malignæ.

Febrium malignarum hæc ſunt ſymptomata, quibus in Epidemiis addit & iſtud ὡς ὑπὸ κωνώπων ἀναδήγματα, id eſt, *veluti culicum morſus*; quos recentiores petechias, maculas purpureas, exanthemata & ecthymata vocare ſolent. Unde immeritò febres malignas antiquis incognitas fuiſſe aſſerunt nonnulli.

XXXVII.

Ἥκιστον τοῖσιν ἀπὸ κεφαλῆς κορυζώδεσιν ἐπιπυρετίοισιν ὑποφροφαί. Epid. 6. Sect. 3.

Ex capitis coryzâ febricitantibus, recidivæ vix fiunt.

Febris enim raucedini & coryzæ ſuperveniens, eas firmiùs concoquit, ne iterum facilè revertantur, etiamſi aliquid erroris commiſſum fuerit. Sed cur ex capitis coryza, neque enim ab alia parte oritur? Id fortè addidit, ut à parva coryza quæ ab externa cauſa fit, diſtingueret, indicarétque ſe de iis qui ob naturalem capitis imbecillitatem eo vitio capiuntur, ſermonem habere. Galenus in hunc locum.

XXXVIII.

Coac. Τῶν πυρεσσόντων οἷσι μὲν ἐρυθήματα ἐπὶ προσώπων, καὶ πόνος κεφαλῆς ἰσχυρὸς, καὶ σφυγμοὶ φλεβῶν, αἵματος ῥύσις τὰ πολλὰ ξύ.

Quibus febricitantibus faciei rubores, capitis dolores & arteriarum pulsus, hæmorrhagia ut plurimùm accidit.

Febris propriè cùm nihil aliud sit quàm conatus naturæ satagentis quod nocet aut inutile est à puro secernere, ideò variæ fiunt in febribus excretiones, aliàs quidem per os, aliàs per sedem, aliàs aliâ via. In his omnibus natura humoris motum & indolem sequitur: itaque quando tenuis humor sursum elatus capitis dolores parit & pulsationes, per nares crisis contingit, apertis arteriarum osculis.

XXXIX.

Ibid. Οἷσι ἔσαι, καὶ παρδιωγμοὶ, καὶ πτυαλισμοὶ, ἔμετος.

Quibus faſtidia, cardialgiæ & ſputationes, vomitus.

Dum enim ſecreti è maſſa ſanguinea viſcoſi humores ventriculo aſſident, eum nauſeabundum efficiunt, ſtomacho connitente importunum hoſtem expellere, faſtidium quidem procreantem acidi fermenti colligatione, ſputationes verò productis crudioribus chylo ſaliváque. Unde non mirum ſi ventriculus diu fruſtra vellicatus, hancce ſaburram foras trudat vomitu.

XL.

Οἷσι δ' ἐρεύγμοὶ, φῦσαι, φόροι κοιλίης καὶ ἐπάρσιες, ἐκλάραξις κοιλίης. Ibid.

Quibus verò ructus, flatus, ventris ſtrepitus & inflationes, alvi fluxus ſuccedit.

Indicia quippe hæc ſunt nidulantium in hypochondriis, primis viis ac inteſtinis pravorum humorum, qui quidem in motu ſunt, & exitum moliuntur: unde ſpes affulget inte-

stina sæpè irritata fibras suas contrahere parata esse, tandémque ab impuritatibus alvi fluxu liberata iri.

XLI.

Progn. Αἱ κυνάγχαι δεινόταται μὲν εἰσὶ καὶ τάχιστα ἀναίρεσιν, οὐδὲν μήτε ἐν τῇ φάρυγγι, μηδὲν ἔκδηλον ποιέυσι, μήτε ἐν τῷ αὐχένι, πλεῖστον δὲ πόνον παρέχυσι καὶ ὀρθόπνοιαν.

Anginæ gravissimæ sunt & celerrimè interimunt, quæ neque in faucibus, neque in cervice quicquam conspicuum faciunt, plurimùm verò doloris & orthopnœæ inducunt.

Sedem enim habent in internis Laryngis musculis, siquidem in conspectum non veniunt, unde magnum est suffocationis periculum, constricto & inflammato tracheæ arteriæ per quam ad pulmones spiritus deducitur & expellitur, orificio.

XLII.

Progn. Κορύζας καὶ πταρμοὺς ἐπὶ πᾶσι τοῖσι

περὶ τ πλεύμονα νυσήμασι προσγενόνας, ἢ ἐπιγίνεσθαι, κακόν.

Coryzas & ſternutationes in omnibus circa pulmones morbis, tum præire, tum ſubſequi malum.

Eo quòd pravis humoribus pulmonem repleant, & caput affectum eſſe indicent: Adde quòd thorace concuſſo pleuram pulmonéſque divelli magis ac lædi à ſternutatione accidat.

XLIII.

Τῶν σωμάτων τὰ γεγυμνασμένα καὶ πυκνὰ, θᾶσσον ὑπὸ τ πλευρελικῶν καὶ περιπλευμονικῶν ἀπόλλυσθ τῶν ἀγυμνάστων. Coac.

Denſa & exercitationi aſſueta corpora, citiùs ex pleuritide & peripneumonia intereunt, quàm quæ ſine exercitatione degunt.

Priores enim cùm robuſti ſint,

nonnisi ex magna causa ægrotant, unde majus iis impendet periculum: ultimi verò pravis scatentes humoribus ex leviori causa in hosce incidunt morbos. Unde major curationis spes affulget.

XLIV.

Coac. Αἱ ξηραὶ τ πλευρίδων καὶ ἄπλυτοι χαλεπώταται· φοβεραὶ δ ἐν οἷσιν ἄνω τὰ ἀλγήματα.

Pleuritides siccæ & in quibus nihil spuitur, graviſſimæ; metuendæ quoque in quibus dolores ad superiora tendunt.

Partes thoracicæ quæ in pleuritide afficiuntur, aliâ viâ commodâ expurgari nequeunt, quàm per sputa. Inde pleuritides in quibus æger non spuit, sive ob membranæ pulmones succingentis densitatem nimiam, quominus sputum ex pleura ad pulmones resorberi possit, sive materiæ in pleuram impactæ defectu, quæ aut nimis viscida, aut nimis tenuis, ut pulmonum sese contrahen-

tium vim eludat : istæ , inquam, pleuritides periculi plenæ sunt , cùm restitante illic materiâ erosio & gangræna pleuræ facilè succedat. Periculosiores etiam sunt eæ quæ superiores costarum musculos afficiunt, utpote capiti pulmonis & cordi vicinæ , quàm quæ inferiores.

XLV.

Τὰ ἀλγήματα ἐν ἁπάσῃσι τῇσι πλευρίτισιν ὡς ἐπίπαν λυφίζει μεθ' ἡμέρην μᾶλλον ἢ νύκτωρ. De morb. l. 3.

In omnibus pleuritidibus dolores interdiu potiùs quàm noctu leviores esse solent.

Noctu febres & dolores exacerbari solent , ob poros à frigidiori cælo constipatos , retentámque materiam morbificam : interdiu verò mitescere ob eorundem pororum ab aëris calore relaxationem , effluviorúmque morbificorum liberiorem evaporationem.

XLVI.

Coac. Τὰ ἀλγήματα τοῖσι πλευρελιτικοῖσι χρήσιμον, κοιλίην μαλάσσεσθαι, πτύαλα χρωματίζεσθαι, καὶ εὐπετέως ἀνάγειν, φόφους ἐν τῷ στήθει μὴ γίνεσθαι, τὸ οὖρον εὐοδεῖν, ἀγαθὸν· τὰ δὲ τούτων ἐναντία δυσχερέα, καὶ πτύαλον γλυκαινόμενον.

In pleuriticis dolores & alvum emolliri, ſputa colorari & bene expelli, nullos in pectore ſtrepitus fieri, urinam rectè procedere, bonum: quibus verò contraria adſunt, malum, ſputúmque dulceſcere.

Dolorem miteſcere in pleuritide boni ominis eſt, faciliùs enim tunc expectoratione defungentur pulmones; alvúmque ſimul emolliri, ejus náinque conſtipatio calorem & febrim auget, thoracíque ſeſe movendi libertatem minuit. Bonum etiam ſputa colorari, id enim oſtendit ex affecta parte ea educi. Nullos in pectore ſtrepitus fieri, quod pulmo-

num vias valde obsessas indicaret, tandémque urinam rectè procedere, quâ seri acris portio huncce morbum creans vacuatur. Contraria verò mala, imò & sputum dulcescere, quod indicat pus cum eo mixtum esse, & in empyema verti pleuritidem, quod sæpe funestum.

XLVII.

Ἡ περιπνευμονίη τοιάδε ποιέει, πυρετός τε ἰσχυρὸς ἴσχει, καὶ πνεῦμα πυκνὸν καὶ θερμὸν ἀναπνέει, καὶ ἀπορίη καὶ ἀδυναμίη ἔχει, καὶ ῥιπασμὸς, καὶ ὠδύναι περὶ τὴν ὠμοπλάτην, καὶ τὴν κλεῖδα, καὶ τὴν τίτθον, καὶ βάρος ἐν τοῖσι στήθεσι καὶ παραφροσύναι. De Hujus mor.

In peripneumonia hæc adsunt, febris vehemens, crebra & calida respiratio, anxietudo, virium prostratio, & corporis jactatio, doloréque ad omoplatam, claviculam & mammas, pondúsque in pectore, atque delirium.

Febris semper assidet Peripneumo-

niæ, aliàs quidem eſſentialis, ſæpius verò ſymptomatica, ac ipſius peripneumoniæ ſymptoma. Calidè expirant Peripneumonici eò quòd à concepto in pulmonis incendio inſpiratus aër incaleſcat, & cùm non poſſit inflammatus pulmo multùm dilatari cogitur natura reſpirationis parvitatem frequentiâ compenſare, inde frequens reſpiratio. Anxietudo oritur à fervore ſanguinis ſingulis partibus moleſti, & à dyſpnœa, (nihil enim æquè laborioſum eſt ac difficilis reſpiratio.) Virium proſtratio tum ab hac ultima cauſa, tum à fervore ſanguinis ſpiritus depopulante, imò & ſæpè à cocoethia: ſunt etenim Peripneumoniæ quamplures malignæ. Jactatio corporis anxietudinem ſequitur. Dolores ad omoplatam & alias thoracis partes modò plures modò pauciores extenduntur, prout hæc vel illa pulmonis pars inflammatione maximè tentatur, vicináque ipſi pleura incaleſcit & divellitur. Pondus in pectore procedit ab inſolito pulmonum tumore, & infarctu. Delirium tandem non

tam fortè à vaporibus, & fervidis ut aiunt, anathymiasibus sursum elatis, quàm quòd sanguis supra modum in ardente pulmone incalescens dum deinde per venam pneumonicam in sinistrum delabitur cordis ventriculum, & ex hoc deinde in aortam, ab hoc in cervicales, vertebrales, & carotides arterias, & ab his in cerebrum exploditur, novam ibi parit inflammationem, vel saltem spiritus cerebri incolas accendit, imò & per syntimoriam diaphragmatis delirare potest pneumonicus, vicinum enim pulmonibus ardentibus diaphragma facilè flammam concipit: tanta verò cerebrum inter & diaphragma intercedit necessitudo, ut ipsum antiqui φρένας absolutè dixerint.

XLVIII.

Τοῖσι σημείοισι τὰς ἐμπύας γινόσκειν χρὴ· εἰ ὁ πυρετὸς ἀπὸ ἀρίσιν καὶ ἱδρῶτες ἐπιγίνονται, βηχές τε καὶ θυμὸς, καὶ ἀπόπλυσιν ὀδὲν ἄξιον λόγυ, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ἔγκοιλοι γίνονται, αἱ ὄνυχες τῶν χειρῶν γρυπώδεες ἰσχυσι καὶ οἱ ὄνυχες τῶν χειρῶν γρυπώδεες. Progn.

οἱ δὲ δάκτυλοι θερμαίνονται, καὶ ἐν τοῖσι ποσὶν ἐδήμαλα καὶ φλυκταίναι εἶναι τὸ σῶμα γίνονται.

His ſignis Empyicos cognoſces : ſi febris non dimittat & ſudores oboriantur, tuſſéſque & tuſſiendi cupiditas adſit, nec aliquid effatu dignum expuant, oculi cavi reddantur, malæ ruborem contrahant, ungues adunci fiant, digiti incaleſcant & in pedibus tumores & per totum corpus Phlyctænæ oriantur.

Adeſt in Empyicis febris quia pus ſine fermentatione & ebullitione perfici nequit : madent illi ſudoribus, quia toto ebullitionis tempore aquei multi ad peripheriam corporis halitus appellunt, imò & languida retentrix nonnihil appellentis alimenti ſinit elabi. Pus acre eſt, hînc pulmones vellicantur, tuſſis & tuſſiendi oritur cupiditas, nihil tamen memoratu dignum re-

jicitur, quod & pus ipſum lentum ſit, & denſa quæ pulmonem ambit membrana, & ignava quæ expellit, facultas. Dant ſe ſe adhuc certiora puris indicia ubi emarceſcente in dies homine cavi fiunt oculi abſumptis adipe, carne, & ſpiritibus quibus ſani turgebant. Rubent genæ cùm tuſſiendi neceſſitate, tùm maximè ægro pulmone tenuem fervidúmque ſanguinem efficiente qui ad eas brevi annexis vaſis tranſmittitur. Evadunt adunci ungues conſumptâ quæ his ſuberat carne. Calent extremi digiti extremis vaſorum quæ calorem cum ſanguine vehunt eò deſinentibus. Tument pulmonei pedes quòd infirmi & infimi appellẽs ad ſe alimentum digerere nequeant: phlyctænæ verò à portione ſeri cuticulam elevante.

XLIX.

Τὰ κνησμώδεα σώματα μὴ ποιλίης ἔχοντα, κακόν. Coac.

In tabidis ſi poſt ſuppreſſam

alvum pruriginosa fiant corpora, malum.

Pruritus diarrhœæ superstes in Phthisicis ab eadē oritur causa à qua antè diarrhœa pendebat,& sicut vellicatis ab humorum acrimonia intestinis fiebat diarrhœa, ita jam restibiles in massa sanguinea aculeatæ partes ad peripheriam corporis delatæ pruritum excitant. Malus itáque ille pruritus, ut signum & ut causa: ut signum quia non naturæ victoriam,sed summam arguit sanguinis impuritatem, unde non cicuratam, sed aliò tantùm transmissam materiam licet conjicere : ut causa quia causa doloris est & vigiliarum quibus fractæ jam vires propediem penitus exolventur : Adde quòd metus est ne suppressa morbilis materia in pulmones jam affectos & debiles præceps ruat.

L.

Ibid. Φθίσιες ἐπωνυδιωώτας, αἵ τε ἀπὸ ῥήξιος φλεβῶν τῶ παχειῶν, καὶ ἀπὸ καλάμης τῆ ἀπὸ κεφαλῆς.

Tabes maximè periculosæ

quæ ex ruptione craſſarum venarum, & ex capitis deſtillatione contingunt.

Tabes in univerſum periculoſæ ſunt, at præcipuè quæ ex ruptione venarum majorum pulmonem irrigantium: ex hac enim ruptione computreſcit ſanguis & ferè ſimul pulmo: etenim ut alibi docet à ſanguinis ſputo puris ſputum, à puris ſputo tabes. Phlegma verò è capite depluens, ſi uti ferè aſſolet putreſcat & ſalſum fiat, facilè fit *διαβρωτικὸν*, in iis præſertim qui ſunt ad Phthiſim diſpoſiti, ut qui verbi gratiâ thoracem anguſtum habent, dorſum alatum, caput turbinatum, dentes pectinatim commiſſos & mentum pectori annexum. Corroſio autem in vaſis pulmonum, periculoſior eſt quàm eorum diapedeſis aut anaſtomoſis.

L I.

Τοῖσι φθίνουσι τὸ φθινόπωρον κακόν: κακὸν ᾗ κὴ τὸ ἔαρ, ὅταν τὰ τ' συκῆς φύλλα κορώνης ποσὶν ἴσα ᾖ. Epid. 6.

Autumnus tabidis malus : ver quoque etiam malum, cùm ficus folia cornicis pedibus ſimilia fuerint.

Tabes primariam ſedem habet in pulmonibus, qui à natura deſtinati ſunt aëri inſpirando & expirando : unde non mirum ſi pejùs habeant ubi aër varias inæqualitates patitur in frigore & calore, humiditate & ſiccitate, ventis nebulíſque, qualis eſt Autumno. Ver etiam huic morbo contrarium, eo quòd incipiant fermenteſcere & colliquari humores, non ſecus ac glacies ab hyemis frigore conſtipata, accedente hac tempeſtate fundi incipit. Ficus folia cornicis pedibus ſimilia deſignant veris initium, quo tempore parva ſunt hæc folia, figurámque illam obtinent.

LII.

Coac. Ὅσοι ἀφρῶδες αἷμα ἐμέουσι, πόνος μὲν ἔσω καὶ διαφράγματος ἀπὸ τοῦ πλεύμονος ἐμέουσι.

Idem ferè ac apho. 13. ſect. 5. Qui ſpumantem ſanguinem expuunt

expuunt, partibus infra diaphragma nequaquam dolentibus, iis à pulmone excernitur.

Spumans ſanguis fit ex aëris cum ſanguine commixtione, ſicut bullæ & ſpuma in aliis quibuſvis liquoribus & præcipuè viſcoſis ex eorum agitatione & aëris introductione oriuntur. Itaque ſi ſpumoſus expuatur ſanguis, indicium eſt ex pulmone excerni, ubi inſpirato aëri commiſcetur, & pulmonum ope agitatur. Idque eò magis confirmatur, ſi nullus perſentiatur dolor in partibus infra diaphragma exiſtentibus : ubi enim dolor, ibi morbus.

LIII.

Ἢν ὕδερῳ ἐν τῷ πλεύμονι γένηται, πυρετὸς καὶ βὴξ ἴσχει, καὶ ἀναπνέει ἀθρόον, καὶ οἱ πόδες οἰδέουσι, καὶ οἱ ὄνυχες ἕλκονται, καὶ πάσχει οἷάπερ ἔμπυοι, βληχρότερον καὶ πολυχρονιώτερον. De diæt. in acut.

Si hydrops in pulmone accidat, febris & tuſſis vexat,

confertim reſpirat, pedes intumeſcunt, ungues incurvantur, & velut Empyicus afficitur, ſed remiſſiùs ac diutiùs.

Hæc ſigna diagnoſtica hydropis pectoris apprimè ſunt ſcitu neceſſaria: eſt enim morbus ſatis frequens, nec tamen ſatis cognitus: ſed qui iſta ad unguem tenebit, huncce morbum ab aliis pectoris morbis facilè diſtinguet. *Febris* aut febricula adeſt eáque aſſidua, tum ob cauſam antecedentem ὑδέρα, quæ ſæpè eſt fervida maſſæ ſanguineæ intemperies, à qua ſerum multum & acre generatur, quod in pulmones depluens, ſive hydatidum in iis obortarum ope, ſive ſimplici vaſorum lymphaticorum anaſtomoſi, hunc affectum creat: tum ob cauſam conjunctam ſerum nempe illud in pectore putreſcens & ſanguinem fermentans. *Tuſſis vexat* ſero illo acrimoniâ ſuâ pulmones titillante, & pondere ſuo ipſos ad ſui excuſſionem excitante. *Confertim reſpirat*, naturâ reſarcire cupiente reſpirationis difficultatem, frequentiæ

ipſius ope. *Pedes intumeſcunt*, eodem ſero quod in venis congeſtum eſt, in partes debiles & declives delabente, unde pedes ita tumidi à quibuſdam pedes pulmonei vocantur, hoc eſt, pulmonum vitium indicantes. *Ungues incurvantur*, pinguedine & carne ipſa à lenta febre quæ hunc hydropem comitatur, conſumptis. Tandem plurima habet cum Empyemate ſigna communia, quæ ſuprà recenſita fuere: ea tamen ſymptomata in hydrope pectoris remiſſiora ſunt, quia ſerum ſive aqua minùs impedimenti, in pulmonum bronchiis & pectore afferunt, quàm pus ipſum: at diutiùs durat affectus, quia à ſero non ita corrumpitur aut opprimitur pulmo, quàm à purulentâ ibidem collectâ materiâ.

LIV.

Οἱ ὕδρωπες οἱ ἐκ τῶν ὀξέων νοσημάτων πάντες κακοὶ καὶ θανατώδεις. Progn.

Hydrops omnis qui ex acutis morbis oritur, malus & lethalis.

Hydrops qui ex acutis morbis, verbi gratiâ, poſt febres continuas oritur, ſupponere videtur magnam humorum colliquationem & viſcerum exſiccationem: talia enim ab ardore febrili fieri veriſimile eſt: at hæc terroris plena ſunt, quomodo enim colliquati humores priorem conſiſtentiam acquirere valent, aut quomodo arefacta viſcera iterum remolliri? unde neceſſariò non ſolùm malus eſt talis hydrops, verùm etiam ferè ſemper lethalis. Adde quòd ſi tanti momenti & periculi affectus, qualis eſt hydrops, ægrum adoriatur jam viribus effœtum, ob eum qui præceſſit morbum acutum, parva aut nulla ſpes eſt ſanum exinde evadere poſſe. E contrà hydrops qui ex chronico morbo oritur, verbi gratiâ chloroſi aut febre quartanâ, quia ab infarctu ſolo viſcerum oriri videtur, qui corrigi faciliùs poteſt quàm exſiccatio, curatur etiam multò faciliùs, etiamſi ſemper per ſe malus ſit.

L V.

Χρὴ τ ὑπὸ τ ὑδρωπ@ ἐχόμενον καὶ μέλλοντα τελεύτᾶν, εὐσπλαγχνον εἶν, πέπτεᾶν εὐπεπέως, εὔπνοον, ἀνώδυνον, καὶ μὴ πεπλετηκὸς περὶ τὰ ἔσχατα. Prorrh. 2.

Hydrope detentus curari poteſt, ſi robuſtis ſit viſceribus, ſi bene concoquat & ſpiret, ſine dolore ſit, & extrema colliquefacta non habeat.

Difficultas hydropem curandi maxima ex parte oritur aut quòd jam malè affecta ſint viſcera, & quidem non curabili affectu, ut maraſmo aut ulcere, vel quòd illa ſaltem debilia ſint, nec vim ferè queant medicamentorum huic morbo expugnando neceſſariorum. Si ergo ſit æger εὐσπλαγχν@, hoc eſt, robuſtis viſceribus, curationis ſpes non eſt abjicienda, præſertim ſi alia boni ominis ſigna ſimul adſint, ſi bene ſpiret quod aquam nondum in cavitate thoracis collectam arguit, ſi abſque dolore ſit, & extrema non-

dum colliquefacta sint, quod ultimum, vitium insigne in viscеribus indicat.

LVI.

Epid. 6. Πολλοὶ ἐξ αἱμορραγιῶν ἐξυδέρωθη.

Multi ex hæmorrhagiis nimiis in hydropem incidunt.

Debilitato scilicet viscerum naturalium tono, sanguinéque spiritibus nimis depauperato, unde Chylus non probè in vasis excoquitur, nec in viscеribus ritè depuratur: sícque crudo & aqueo in venis existente sanguine, aut præ copia vasorum orificia aperit & in cavitates effluit, aut tanquam inutile pondus à partibus rejicitur. Inde concludere etiam debemus copiosas phlebotomias, quales à quibusdam impunè præscribuntur, non immeritò quasi hydropis parentes metui.

LVII.

De morb. mul. Ἢν ὕδερος ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἐγγένηται, τὰ ἐπιμήνια ἐλάσσω καὶ κακίω γίνεται·

ἔπειτα ἐξαπίνης ἐκλείπει, καὶ ἡ γαστὴρ ἐπαναιδέει, καὶ οἱ μαζοὶ ξηροὶ γίνονται, καὶ τ' ἄλλα πονήρως ἔχει, καὶ δοκέει ἐν γαστρὶ ἔχειν.

Si hydrops in utero oboriatur, menſes pauciores & deteriores fluunt, dein derepentè deficiunt, venter intumeſcit, mammæ ſiccæ evadunt, & in reliquis mulier malè habet, ſibíque utero geſtare videtur.

Cùm oriatur hic affectus utplurimùm ex obſtructione vaſorum per quæ ad uterum menſtrua deferuntur & inde excernuntur, non mirum ſi primùm parciùs fluant, & deteriora ſint, ob admixtam materiam pituitoſam obſtructionis parentem. Hinc omnino evaneſcentibus venter intumeſcit, retentis in utero tum ſanguine tum lymphâ, mammæ areſcunt & lacte privantur. Lac enim non fit niſi à laudabili alimento, non autem corrupto, ut corrumpi in hoc morbo veriſimile eſt. Præterea multò

pejùs ſe habet mulier uteri hydrope laborans, quàm ſi gravida eſſet.

LVIII.

De Morb. mul. Ἢν τεθνήκῃ τὸ παιδίον, μεταπίπτει ἐν τῇ μήτρῃ, ὑποτέρωθι ἂν κῇ ἡ γυνὴ, ὥσπερ λίθος ἢ ἄλλό τι, καὶ τὸ ἧτρον ψυχρὸν ἔχει.

Si mortuus ſit fœtus delabitur in utero, quocunque ſe vertat mulier, tanquam lapis aut aliud quid, & pectinem frigidum habet.

Vitâ enim privatus cùm ſit fœtus, matris motûs quoſcunque ſequitur, neque ulli reſiſtere poteſt: ſed in utramvis partem prolabitur, cùm ſe ampliùs ſuſtinere nequeat. Pecten verò frigidus eſt, quia friget fœtus, extinctis calore nativo & ſpiritibus, & qui antea ſublimis medium ventris occupabat, mortuus jam conglobatur, gelidúſque totus ad pectinem devolvitur. Signa autem hæc duo ſi ſeparentur, minùs ſignificant: poteſt enim de latere in

latus devolvi lapidis inſtar fœtus, etſi mortuus non ſit: cujus rei indubitatum facit teſtimonium Herpalidæ ſoror, cujus hiſtoria habetur 7. Epid. Huic utero gerenti puer velut mortuus huc illuc devolvebatur, vivum tamen illum debito tempore peperit, & revera hoc ſignum ſolum non magis mortem quàm ſummam imbecillitatem denotat, quod cognoſcens Hippocrates aliud inſuper pro rei certitudine addidit, videlicet pectinis frigiditatem.

LIX.

Ὅσα τὰ λόχια μὴ προκαθαίρεται, ῥᾷον ἀπαλλάσσουσιν ἐν τῷ τόκῳ. De Fœt. exſect.

Quibus lochia non repurgantur ante partum, eæ faciliori partu defunguntur.

Lochiales purgationes ante partum minantur ſæpè abortum: præſertim ſi illas dolor aliquis notatu dignus præceſſerit. Lochialibus inſuper purgationibus vires admodum infringuntur, & cùm ad felicem par-

tum vegetæ vires requirantur; hinc fit ut quibus lochia ante partum non repurgantur, eæ faciliori partu defungantur.

LX.

De nat. Puer. Ἢν ἐπὶ τῷ κεφαλῇ ῥοπῇ τὸ παιδίον ῥᾳδίως τίκτει ἡ γυνὴ: ἢν δὲ πλάγιον, ἢ ἐπὶ πόδας χωρήσῃ, χαλεπῶς.

Puer ubi in caput fertur faciliùs parit mulier: sin verò in latus, aut in pedes, difficilè.

Faciliùs parit mulier ubi puer in caput fertur, quia sic faciliùs prodit fœtus: etenim pedibus innixus & calcitrans exitum nanciscitur, minúsque spatij pro sua exclusione requirit dum in caput, quàm dum quovis alio modo fertur: uno verbo primus pariendi modus naturalis est, cæteri omnes contra naturam, quanquam ex illis alij sint aliis difficiliores.

LXI.

De Superf. Κύησαν γυναῖκα γνώσεις, ἢν ὀφθαλμοὶ κοιλότεροι, καὶ τὰ λόγχα τῆς ὀφθαλ-

μᾶλλ ἐπ ἔχῃ τὴν φύσιν ἡ λευκότητ@; ἀλλὰ πελιώτερα φαίνητ@, καὶ ἐὰν ναυσί@ καὶ καρδιώγμ@ μετὴ, καὶ πτυαλίζουσα &c.

Gravidam mulierem cognoſces, ſi oculi cavi videantur, & album oculorum nativam non habeat albedinem, ſed lividum ſit: necnon ſi cibum averſetur, oris ventriculi morſu torqueatur, & ſaliva abundet.

Recenſita ab Hippocrate ſigna hæc omnia ſunt æquivoca, tam enim in gravida quàm in non gravida reperiri poſſunt: ex his itaque ſolis non licet medico graviditatem aſſerere, ſed tantùm ſi cum aliis multis ab ipſomet Hippocrate pluribus in locis propoſitis concurrant; cúmque intricatiſſima res ſit graviditatis cognitio, caveat Medicus ne uno aut altero tantum malè fretus ſigno temerè nimis ſuam de illa proferat ſententiam: debet itaque tota ſignorum ſyndrome perpendi, inter quæ

recenſita profectò locum habent maximum. Cavos habent gravidæ oculos quæ ſunt magis exolutæ, fœtu partem puriſſimam abſorbente, & præ pondere moleſtante; album oculorum lividum fit, propter ſanguineæ maſſæ menſtruorum beneficio non deæcatæ ſpirituum penuriam: cibum averſantur, & cardiogmo laborant, quia ſtomachus propter jam accuſatã ſpirituum penuriam minùs bene digerit, & excrementis ideò ſcatet, à quibus malè afficitur, & quoniam primæ coctionis vitium non corrigitur in ſecunda, ideò fit copia ſuperflui humoris & crudi in maſſa ſanguinis, quo frequenti ſputatione natura liberare ſe ſatagit; ſed iſta ſicut ſola graviditatem non denotant, ita nec omnibus gravidis eveniunt.

LXII.

De morb. mul. l. 2. Ῥόος λευκὸς ἐν τῇσι γεραιτέρῃσι, μᾶλλον ἢ ἐν τῇσι νεωτέρῃσι; πυῤῥὸς ἐν ἀμφοτέρῃσι, ἐρυθρὸς ἐν νεωτέρῃσι.

Fluor albus ſenioribus magis quàm

quàm junioribus contingit; fulvus utriſque; ruber junioribus.

Fluor albus crudæ & phlegmaticæ cacochymiæ, fuluus biliosæ, & ruber plethoræ ſoboles ſunt: ideò fluor albus ſenioribus; quia magis pituitoſæ quàm juniores: flavus utriſque, quia tam in junioribus quàm in ſenioribus bilis non deſideratur; ruber denique junioribus, utpotè plæthoricis, magis eveniunt.

LXIII.

Τὸ οὖρον ἄριστόν ἐστιν, ὅταν ἐπὶ λευκῇ τε ἡ ὑπόστασις, καὶ λείη, καὶ ὁμαλὴ καθ' ὅλου πάντα τὸν χρόνον, ἐς ὃν κριθῇ ἡ νοῦσος. Progn.

Urina optima eſt in qua per omne tempus, quoad morbus judicatus fuerit, ſedimentum album, læve & æquale eſt.

Hæc enim à ſanorum urina vix differt, denotátque fieri intra venoſum genus probas & legitimas filtrationes, præcipitationéſque: ac

proinde integra viscera esse, fermenta à natura edomari, & salia dulcorari: secus enim fierent sedimenta rubra, nigráve, crassa atque inæqualia, quorum phænomenôn rationes vide apud Vvillisium, aliósque Authores qui de urinis scripserunt.

LXIV.

Ibid. Νεφέλαι ἐμφερόμεναι τοῖσιν οὔροισι λευκαὶ μὲν ἀγαθαὶ, μέλαιναι δ' φλαῦραι.

Nubeculæ quæ per urinas feruntur, albæ quidem bonæ, nigræ verò malæ.

Albæ nubeculæ in urinis natantes, ad sanorum nubeculas maximè accedunt, unde curationis spes affulget. E contra nigræ retorridam aliquam & à natura alienam materiam indicant, vitriolico aliquo sale imprægnatam. Vitriolum enim permixtum cum aliquâ materiâ alcali donatâ, qualis est urina, eam nigram efficit.

LXV.

De Crisib. Ὑποστροφὰς λαμβάνουσι οἷς ἂν ἀπυρέ-

τοισι γλωμλύσισιν ἀγρυπνίαι ἐρρωμλύαι προσγίνονϑ, ἢ ὕπνοι ταραχώδεες, ἢ ἀρρωστίη τοῦ σώματοϑ, ἢ ἀλγήματα ἑνὸς ἑκάστου τῶν μελέων, καὶ ὅϑις οἱ πυρετοὶ παύσονϑ, μήτε σημείων γλωμλύων λυτηρίων, μήτε ἐν ἡμέρῃσι κρισίμῃσι.

Recidivas patiuntur quibus poſt febres, vehementes vigiliæ aut turbulenti ſomni adſunt, aut corporis robur ſolvitur, aut ſingulorum membrorum dolores adſunt, & quibus febres non accedentibus ſolutionis ſignis, neque diebus criticis quieſcunt.

Quæ relinquuntur in morbis recidivas facere ſolent, inquit alibi Hippocrates: at hæc enumerata ſymptomata poſt febres adhuc micantia, non obſcurè teſtantur relictam adhuc eſſe materiæ morbificæ partem, quæ quidem febri excitandæ impar ſit, ſed quæ tamen œconomiæ naturalis leges interturbare valeat: unde metus eſt ne hæc materia multi-

plicata, aut corruptionis gradum intensiorem acquirens, denuò flammam concipiat, pristinámque febrem reducat. Quod & metuendum, si verâ & legitimâ evacuatione, quam crisin vocant, sine ratione, febris non fuerit soluta.

LXVI.

De morb. lib. 4.

Ἀποπάλλει ὁ ἄνθρωπος ἔχων τὸ ἕλμινθα τὸν πλατέα, ῥαφανίδος σικύης σπέρμα, ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε σὺν τῇ κόπρῳ.

Qui latum lumbricum habet, is veluti cucumeris semen subinde cum fæcibus egerit.

Alia præterea signa enumerat superiori magis æquivoca, hæc nempe: *Ubi quis jejunus fuerit, subinde ad hepar fertur & dolorem excitat: nonnullis quoque tunc vocis defectionem accersit, & ex ore multa sputa exeunt, & tormina in ventre excitantur.* His adde & famem sæpe assidentem, ob alimentum ab illo ingenti verme aut devoratum aut corruptum.

LXVII.

Οἱ αἱμορροΐδας ἔχοντες ὅτε πλευρίτιδι, ὅτε περιπλευμονίῃ, ὅτε φαγεδαίνῃ, ὅτε δοθίῃσιν, ὅτε θερμίνθοισι ἀλίσκονται, ἴσως οὐδὲ λέπρῃσιν, ἢ ἀλφοῖσιν. De humor. ité. Epid. 6.

Qui hæmorrhoidibus laborant, ij neque pleuritide, neque peripneumoniâ, neque ulcere exedente, neque furunculis, neque tuberculis à ciceris similitudine Therminthi dictis, ac fortè ne leprâ quidem aut vitiliginibus capiuntur.

Vitiosis enim succis per hæmorrhoides vacuatis à talibus morbis liberantur. Gal. in hunc loc. Inde colligere in praxi licet quàm utilis foret sanguisugarum ad venas hæmorrhoidales applicatio, variis in morbis, aut ipsismet, aut similibus qui hîc citati veniunt, quæ à plerisque practicis aut negligitur aut parvi habetur.

LXVIII.

De morb. inter.

Οἷσι σπλῆνες μεγάλοι, ἡ χροιὴ τρέπεται, καὶ ὀρᾶται μέλας ἢ ἐπωχρὸς καὶ σιδηροειδὴς, καὶ τὰ ἕλκεα κακὸν ὄζει, καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ὀδόντων ἀφίσταται, ἢ ἐν τοῖσι κνημέων ἕλκεα ἐκρήγνυται, ὁκοῖα περ ἐπινυκτίδες καὶ οὐλαὶ μέλαιναι γίνονται.

Quibus lienes magni ſunt, color cutis mutatur, & niger apparet, aut rubicundus puniceuſve, & gingivæ malè olent, & quæ ſunt circa dentes abſcedunt, aut in cruribus ulcera erumpunt, qualia epinyctides, & nigræ cicatrices fiunt.

Scorbutũ veriſimiliter deſignat ſub *magnorum lienum* nomine, etſi enim ſæpiſſimè immunis lien in Scorbuticorum cadaveribus ſit obſervatus; nihilominùs quia aliquando hujus morbi ſymptoma, cum lienis obſtructione & tumore conjuncta viderat, id genus nominis huic impoſuit affectui, quem etiam lib. de intern.

affect. *convolvulum ſanguineum* vocat, eúmque illic ita deſcribit. *Ex ore malus odor expirat, à dentibus gingivæ abſcedunt, & ex naribus ſanguis effluit: interdum verò ex cruribus ulcera erumpunt, color niger eſt, cutiſque tenuis. Morbus hic multâ curatione indiget, alioquin ad mortem uſque comitatur.* Itaque veteres ad primum ſymptoma ab Hippocr. deſignatum, oris pravum odorem, ἐκ τ στόμαΘ κακὸν ὄζα attendentes, morbum hunc *ſtomacacen* voce Græcâ vocarunt, ſicut & à genuum tumore *Sceletyrben.* Sic enim Plinius l. 25. cap. 3. *In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, quâ potâ intra biennium dentes decidêrint, compagéſque in genibus ſolverentur.* Stomacacem *Medici vocabant & ſceletyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba, quæ* Britannica *vocatur, non nervis modò & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoque & ſerpentes. Folia habet oblonga, nigra, radicem nigram.* Hæc

herba hucúſque Botanicis noſtris obſcura, mox pro Betonica, vel Vetonica, mox pro Cochlearia aut Limonio ſumpta, tandem nuperrimè à Muntingo Groningenſi Profeſſore detecta, & libro peculiari illuſtrata, præſtantiſſimum ab eo probata eſt adversùs Scorbutum præſidium. At fallitur Plinius, qui huncce morbum ex peculiaris fontis potu ortum putat, cùm ſit maris Balthici accolis familiaris & Endemius: nec aliis populis ignotus. Strabo enim libro decimoſexto *ſceleiyrbes* meminit morbi apud Arabes ἐσιχωρίου. Imò & præcipuè in noſocomiis noſtris Pariſienſi & Lugdunenſi non infrequens, ut ante me notavit celebris hujuſce Collegij Practicus D. Andreas Falconet Conſiliarius & Medicus Regius, Urbíſque hujus Exconſul meritiſſimus, qui de Scorbuto tractatum in lucem edidit. Galenus lib. de ſimpl. facultatibus hanc herbam quam *Bretanicam* vocat, inter *Stomatica*, hoc eſt, oris affectibus medicamenta deſtinata, efficaciſſimam eſſe ait, & libro definitio-

num Medicarum ad *Sceletyrben*. Itaque Scorbutum ſub aliis nominibus antiquis cognitum fuiſſe, nemo eſt qui dubitare debeat.

LXIX.

Οἷσιν ὁ σπλὴν ὀξὺ καλάῤῥοπος, πόδες καὶ γόνατα, καὶ χεῖρες θερμαὶ: ῥὶς καὶ ὦτα ἀεὶ ψυχρά. Epid. 6.

Quibus lien deorſum pendet, pedes, genua & manus calent: nares & aures ſemper frigent.

Perobſcurum mihi videtur hoc oraculum. Davus ſum non Oedipus. Attamen quia ortum habere videtur, ut omnes ferè alij Epidemiôn aphoriſmi, ex frequenti obſervatione divini ſenis, eruditis hîc proponendum cenſui.

LXX.

Μέλαινα νοῦσος. Μέλαιναν ἐμέει οἷς τεύγα, ὅτε μὲ αἱμαλῶδες, ὅτε ἢ οἷς οἶνον β' δεύτερον, ὅτε ἢ οἷς πολύπους θόλον, ὅτε ἢ ὀριμὺ οἷς ὄξος, ὅτε ἢ σιαλὸν καὶ λά- De morb. l. 2.

πλω, ὅτε ὑ χολὼ χλωρὼ: καὶ τὰ πλευρὰ ἔχῃ ὀδύνη, καὶ πυρετὸς βλιχρὸς, καὶ τὸ νεφαλὸ ἀλγέει, ⁊ τὰ σκέλεα βαρέα, καὶ ἡ χροιὴ μέλαινα.

Morbus niger. Atram bilem vomit veluti fæcem, mox velut ſanguinem, mox veluti vinum ſecundarium, mox velut polypi atramentum, nonnunquam acidum ut acetum, interdum ſalivam aut pituitam tenuem, interdum bilem ſubviridem: latera dolor occupat, febríſque levis adeſt, dolórque capitis, crura gravantur, & color nigricat.

Μέλαινα νῦσος niger morbus ſive *melancholia morbus*: μέλαινα enim aliquando ſumitur ab Hippocrate & Galeno pro *melancholia* ſive atrabile, ſicuti hîc μέλαιναν ἐμέει, quanquam aliqui legant μέλαινα in plurali *nigra*: ita idem nomen & morbo & humori dare potuit, ut nunc in uſu eſt. Quicquid ſit, ſymptoma-

ta hîc ènumerat melancholiæ hypochondriacæ in ſummo gradu exiſtentis & ferè incurabilis, ut ab Hippocrate ibidem obſervatur. Quòd ſi ſimul delirij ſpecies, metus triſtitiáque ſine cauſa adſint, φρονῖὶς ipſi dicitur, aphoriſmo infrà ſect. 5.

LXXI.

Ἢν αὐαίνηϑ μυελὸς ὁ κϛ τὴν ῥάχιν ὀδυνῶν ἐμπίπλει ἐς τὴν κεφαλὴν καὶ ἐς τὸν τράχηλον, καὶ ἐς τὴν ὀσφὺν, καὶ ἐς τοὺς μῦας τοὺς ὀσφύος, καὶ ἐς τὰ ἄρθρα τῶν σκελέων, ὥστε ἐνίοτε οὐ δύναϑ ξυγκάμπτειν, οὐδ᾽ ἡ κόπρος ἴσαϑ, οὐδ᾽ δυσουρέηϑ. De Intern. affect.

Ubi reſiccatur medulla ſpinalis, dolor caput invadit, cervicem, lumbos, muſculóſque lumbares & crurum articulos, ita ut flectere nequeat, alvus ſiſtitur, & urina non niſi ægrè redditur.

Rachitidem obumbrare videtur, quam Angli quibus familiaris eſt, veteribus incognitam fuiſſe putant. Eam definiunt intemperiem frigidam

ſpinalis medullæ ac partium nervoſarum, cum ſpirituum torpore, partiúmque tono vitiato. Ejus autem ſymptomata ſunt artuum, partiúmque motui inſervientium enervatio, nodi circa articulos, qui flexionem & inceſſum multum impediunt, imò & aliquando oſſium tibiæ & cubiti incurvatio, hypochondriorum tenſio & obſtructio, quæ alvi & veſicæ functiones ſæpe perturbant, doloréſque & laſſitudines procreant. Morbus etiam inter plebeculam noſtram Lugdunenſem, pueris non infrequens, quo affectos *noüés*, quaſi diceres nodis colligatos, vocitant. Nec alius fortè morbus eſt quàm qui ab Hippocr. l. 2. de morb. αὐαντὴ vocatur, *reſiccatorius* morbus, ita ni fallor dictus, quòd in eo αὐαίνεϑ, id eſt, *reſiccatur* medulla, ut in hoc aphor. loquitur. Illius enim morbi ſymptomata recenſens præter vomitum, borborygmos & cardiogmos, quæ in rachitide aliquando adeſſe poſſunt, nominat capitis & totius corporis dolores, alvi conſtipationem, crurum debilitatem & partium marcorem,

marcorem, quæ reficcationis medullæ rachitidíſque ſunt comites.

LXXII.

Ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν ἐπιγίνεσθαι, χρήσιμον: ἔσω δὲ τρέπεσθαι, θανάσιμον· τρέπεται δὲ ὅταν ἀφανιζομένου τοῦ ἐρυθήματος βαρυνθῇ τὸ στῆθος, καὶ δυσπνοώτερος γίνεται. Coac.

Eryſipelas foris quidem extare, utile; intrò vergere, lethale. Recurrere autem intrò ſignum eſt, cùm rubore evaneſcente pectus gravatur, & ægriùs ſpirat.

Prior quidem hujus ſententiæ pars reperitur in antiq. Aphoriſm. 25. ſect. 6. ad quam Galenus notat, *non ſolum Eryſipelas, ſed & alium quemcunque affectum ex partibus externis ad internas & principes remigrare, malum.* Poſterior verò pars videtur deſignare duntaxat faciei aut partis vicinæ pectori eryſipelas: cùm aliud in partibus extremis, cruribus aut

manibus, refluxum in pectus vix faciat.

LXXIII.

Coac. Φάρυγξ ἑλκωμένη ἐν πυρετῷ μετ' ἄλλα σημεῖα τῶν δυσκόλων, κινδυνώδης.

Fauces exulceratæ in febre, si aliud ex gravioribus signis adfuerit, periculosum.

Denotat quippe summam materiæ morbificæ acredinem & cacoëthiam, præsertim si aliqua alia mali ominis signa simul adfuerint: sunt enim quidam ægri, quibus frequentiùs quàm aliis fauces exulcerantur, à leviori quacunque febre, fortè ob partium quâ donantur rariorem & delicatiorem texturam. In iis autem nihil sinistri portendit.

LXXIV.

Οἱ γαστρῶνες ἐπικίνδυνοι ἀποτέμνεσθαι ἢν ἐρυθροί τε ὦσι καὶ μεγάλοι.

Progn. Columellam quoad rubor & tumor occupat, resecari periculosum.

Quamdiu aderunt rubor & flamma, columella ſecari non debet ne nimia ſanguinis profuſio, inflammatio, & gangræna ſubſequantur. Tutius eſt ipſam decoctis, pulveribus aut ſaccis adſtringere, refrigerare, blandéque exſiccare. Diſſipato autem rubore aut igne, manentéque uvulâ voraturo ſemper obſtaturâ, licebit eam urere, exſcindere, vel ſcalpello concidere, probè priùs depleto corpore.

LXXV.

Ἐν πυρετῷ καυσώδει ἤχων προσγλυομένων μὴ ἀμβλυωπῶν, καὶ κατὰ τὰς ῥίνας προσελθόντος βάρεος, ἐξίσανται μελαγχολικῶς. Prorrh.

In febre ardente, ſi tinnitus aurium cum viſus hebetudine fiant, & ad nares accedat gravitatis ſenſus, delirium portenditur.

Hæc enim omnia indicant humorum in cerebro agitationem non mediocrem, quæ ſenſuum organa inter-

turbat, ex qua expectanda eſt ſpirituum inordinata agitatio, quæ delirium creat.

LXXVI.

Epid. Τῶν πυρετῶν ἀσφαλέστατος πάντων, καὶ ῥᾳστος, καὶ μακρότατος ὁ τεταρταῖος, ἀλλὰ καὶ νοσημάτων μεγάλων ἄλλων ῥύεται.

Febrium omnium tutiſſima, placidiſſima & longiſſima eſt quartana, quæ & ab aliis magnis morbis liberat.

Notat tamen Galenus quartanâ ex liene laborantes ſæpè in hydropem incidere ac interire. Per ſe tamen periculo vacat præſertim in juvene robuſto, & à magnis morbis liberat, quo nomine comitiales præſertim affectus intelligere videtur, qui ab antiquis morbi magni, ſacri & Herculei vocitantur.

LXXVII.

Progn. Ἐν πυρετοῖσιν ὀξέσιν, ἢ περιπλευμονίῃσιν, ἢ φρενίτισιν, ἢ κεφαλαλγίῃσιν ἢν πρεύειν ἀρχὴ κενῆς, καὶ ἀποκαρφολογεῖν, καὶ

προνοίδας δὲτὸ τ ἰμαλίων ἀποτίλλειν, κακὸν καὶ θανατῶδες.

In febribus acutis, peripneumoniis, phrenitidibus aut cephalalgiis, aliquid frustrà venari, & festucas aut floccos evellere, malum & lethale.

Quia non tantùm verum delirium indicat quod semper malum, sed etiam veluti motum convulsivum digitorum, qui agitantur quasi festucas aut floccos evellerent. At omnis passio nervosi generis mala, cùm cerebri partis principis affectum ferè sequatur.

LXXVIII.

Οἱ πυρετοὶ ἐν οἷσιν ἐφελκυθῇ χείλεα, ἴσως διαλιπόντες. Epid. 6.

Cùm labra exulcerantur, tunc ferè desinunt febres.

Signum enim est acre febris fermentum naturæ robore foras protrusum esse, quod in labiis mollibus

ac ſpongioſis ulcuſcula puſtuláſque inuſſit; atque iſtud non rarò accidit in febribus tertianis & duplicibus tertianis.

LXXIX.

Epid. Ἐν τῇ ἡμιτριταίῳ ξυμπίπτει καὶ ὀξέα νοσήματα γίνεσθαι, καὶ ὅτι τῶν λοιπῶν ὅτου θανατωδέστατος· ἀταρ καὶ φθινώδεες, καὶ ὅσα ἄλλα μακρότερα νοσήματα νοσέουσιν, ἐπὶ τούτῳ μάλιστα νοσέουσι.

In febre hemitritæa tum morbi acuti accidunt, tum præter cæteras febres iſta præcipuè lethalis eſt. Quinetiam tabes & quicunque alij morbi chronici affligunt, in hac potiſſimùm detinent.

Febris hæc ex Galeno complicata eſt ex febre quotidiana continua & tertiana intermittente, unâ die binas habens exacerbationes, alterâ unicam: quæ quidem rara eſt, ſed admodum periculoſa, utpote quæ ægrum admodum debilitet, & ſymptomatum magnitudine aut jugulet

citò, aut mutetur in hecticam, aliósve tum acutos tum chronicos affectus.

LXXX.

Περὶ ποδαγρικῶν τάδε: ὅσοι μὲν γέροντες, ἢ περὶ τοῖσιν ἄρθροισιν ἐπιπωρώματα ἔχουσιν, ἢ τρόπον τινὰ παλαίπωρον ζῶσι, κοιλίας ξηρὰς ἔχοντες, οὗτοι μὲν πάντες ἀδύνατοι ὑγιέες γίνεσθαι ἀνθρωπίνῃ τέχνῃ. Prorrh. 2.

De podagricis ita sentiendum. Qui senes sunt, aut in articulis tophos habent, aut miserè viventes cum sicca alvo, ij sanè omnes humanâ arte sanari nequeunt.

Podagra procedit à prava totius massæ sanguineæ diathesi, cujus serosa portio quando à natura vegeta ad artus partes corporis debiliores exploditur, tunc sæviunt dolores arthritici. At illa diathesis supponit δυσκρασίαν vel ἀτονίαν partium principum, quæ publicis vacant officiis, neque priùs potest tolli podagræ,

quàm dictæ partes factæ fuerint alteratione felici, muneris ſui magis compotes. Id quidem in juvenibus quos alvus liquida liberat à ſuperfluitatibus, ſperari poteſt; at in ſenibus in quibus languida nil boni molitur natura, aut in quibus craſſior humorum portio impacta articulis & diſcuti neſcia, tophos fecit, ſi alvus ſicca & ſegnis nil de cauſa morbi ſubtrahat, nulla profectò curationis ſpes affulget.

LXXXI.

Ibid. *Τῶν περὶ ἄρθρα ἐπικινδυνώτατοι οἱ μεγάλοι δάκτυλοι, καὶ μᾶλλον οἱ τῶν πόδων.*

Quæ circa articulos eveniunt, periculoſiſſimi ſunt pollicum affectus, & præcipuè pedum.

Quia hæ partes nervis, membranis, & ligamentis abundant, carne deſtitutæ, ferè exangues, idcircò vulnera harum partium ſævi dolores, horrendæ convulſiones, & lypothymiæ ſubitæ comitantur; hæc

ita ſe habere notum faciunt tum res ipſa, tum exempla Critonis & Harpali in Epidemiis exarata. Crito ex pollicis dolore inſanus evaſit, & poſtridie mortuus eſt. Harpalus ex pollicis luxatione opiſthotono periit.

LXXXII.

Τοῖσιν ἀσάρκοισι μᾶλλον ἐμπίπτει τὰ ἄρθρα, ὡς θᾶσσον ἐμπίπτειν, ἢ τοῖς εὖ σεσαρκωμένοισι, καὶ ἧσσον ἐπιφλεγμαίνουσι τοῖσιν ὑγροῖσι καὶ τοῖσιν ἀσάρκοισιν, ἢ τοῖσι σκελιφροῖσι καὶ σεσαρκωμένοις. De Artic.

Gracilibus magis luxantur articuli, ut & citiùs reponuntur, quàm bene carnoſis; minúſque inflammatione tentantur humidis & gracilibus, quàm ſiccis & carnoſis.

Caro & pinguedo oſſibus adjacentes vicem gerunt propugnaculi, quibus oſſa intra ſuas cavitates recondita poſſint ſe à luxatione tueri. Non mirum itaque ſi luxationes bene carnoſis minùs frequenter acci-

dant, ſecus verò gracilibus, cùm his nihil obſtet, quin à cauſa externa violenta de ſua ſede dejiciantur. Ubi tamen gracilibus luxata ſunt oſſa faciliùs quàm aliis reponuntur, tum ratione arthremboli oſſa faciliùs contrectantis, tum quia nulla obeſt pinguedo, ſicut in carnoſis, quæ acetabula impleat & oſſi ſe opponat. Neque etiam in gracilibus luxatio inflammationem accerſit, æquè ac in carnoſis, quia in illis leviorem agnoſcit luxatio cauſam; at in εὐσάρκοις cùm multi ſint obices, vehementem cauſam fuiſſe neceſſe eſt, quæ luxationem intulit, ideóque non potuere oſſa foras trudi, abſque inſigni vicinarum partium attritione, cui deinde nil mirum ſi ſuccedat inflammatio.

LXXXIII.

De Artic. Οἷσιν ἐκπεσὼν ὁ μηρὸς μὴ ἐμπέσῃ, ἀλλὰ παραφερηθῇ, ἢ ὀδοιπορίη περιφοράδλω τ σκέλεος, ὥσπερ τοῖς βουσὶ γίν, ἢ ὄχλησις πλείστη ἐπὶ τ ὑγιέος σκέλεος, ἢ ἀναλγέζουν κ τ κενεῶνα ἢ κ τὸ ἄρθρον τὸ ἐμπεπλωκὸς κυλλοὶ εἰσί.

Quibus femoris articulus luxatus fuerit, nec tentatus reponi potuit, ij crus circumvolvendo velut boves incedunt, plurimámque moleſtiam ſano crure ſuſtinent, coguntúrque ad ilia & prolapſum articulum incurvi eſſe.

Quatuor præcipuè modis luxari poteſt femur, in anteriorẽ, poſterioré, interiorem & exteriorem partem. Pertinet autem hic aphoriſmus ad eam luxationis ſpeciem quæ fit ad partem internã. Nam quibus hoc modo prolapſus eſt articulus neque repoſitus, dum incedunt, crus in exteriorem partem circumagunt. Cùm enim luxatum crus longius reddatur & ob imbecillitatem flectere promptè os nequeant, & ob dolorem recuſent, ſupereſt ut in orbem boum more circumagant. Cùm verò huic cruri parùm inniti queant, ſanum crus totam corporis molem ac ideò maximam moleſtiam ſuſtinet. Quia autem nulli firmæ parti poſſit inniti os

femoris luxati, ſicut innitebatur dum in ſuo locatum erat acetabulo, ſed huc & illuc oberret, neceſſe eſt ut ægri ad ilia & prolapſum articulum incurventur.

LXXXIV.

Prorrh. 2. Τὰ τρώματα θανατωδέστερα μὲν τὰ ἐς τὰς φλέβας τὰς παχείας τὰς ἐν τῷ τραχήλῳ καὶ τοῖς βουβῶσιν· ἔπειτα ἐς τε ἐγκέφαλον καὶ ἐς τὸ ἧπαρ, ἔπειτα ἐς ἔντερον καὶ ἐς κύστιν.

Vulnera majori ex parte lethalia ſunt quæ magnas venas in collo & inguinibus, deinde quæ cerebrum aut hepar attingunt, deinceps quæ in inteſtina & veſicam penetrant.

Omnium vulnerum ea maximè ſunt lethalia quæ maximas venas lædunt, etenim per hæc vulnera, ut ut generoſis præſtò occurratur præſidiis, brevi ſanguis vitæ theſaurus tantâ effluit copiâ, ut exhauſtis ſpiritibus, & viribus diſſipatis homo

homo concidat exanimis. Cerebri etiam & Hepatis vulnera maximè lethalia ſunt. Sunt etenim cerebrum & Hepar partes principes, neque ipſarum officiis diù carere poteſt corpus reliquum. Profunda itaque harum partium vulnera quæ ipſarum functiones non retardent modò, ſed auferant, lethalia eſſe neceſſe eſt, ſicut & inteſtinorum veſicæque vulnera: inteſtina enim & veſica licèt partes principes non ſint, principibus famulantur, súntque ipſis multis nominibus affines, ut generis ſocietate, communione vaſorum. Deſtinatæ ſunt præterea uſibus quibus animal carere non poteſt.

LXXXV.

Πλέονες ἐκφυγγάνουσιν τὸν θάνατον τῶν ὄπισθεν τιτρωσκομένων τῆς κεφαλῆς, ἢ τῶν ἔμπροσθεν. De vuln.

Plures ſervantur ex iis qui parte capitis poſteriore, quàm qui anteriore, vulnerati ſunt.

Dura magis eſt pars capitis poſti-

ca quàm anterior, os enim occipitale durum ac ſolidum eſt, tenuiora magis oſſa frontis & bregmatum, ideóque inflicta parti anticæ capitis vulnera faciliùs penetrant quàm quæ poſteriori imprimuntur. Præterea è vulneribus quæ ſuperatis omnibus capitis involucris ſive oſſeis ſive membraneis cerebrum confodiunt, lethalia magis ſunt vulnera partis anterioris quàm poſterioris: illam enim partem cerebrum, hanc cerebellum occupat; at verò in cerebello plùs corticalis ſubſtantiæ (quæ generationi ſpiritus animalis dicata eſt) reperitur, minùs medullaris (quæ ſpiritus geniti conſervationi & circulationi deſtinatur) Secus ſe res habet in cerebro ubi plùs medullaris, minùs corticalis reperitur ſubſtantiæ, unde ſi inflicta ſint anteriori cerebri parti vulnera, major ſubſequitur ſpirituum diſſipatio, non quòd ibi ſint ventriculi cerebri, ſatis leviter olim pro ſpiritus animalis officinis reputati, ſed quia in majori medullaris ſubſtantiæ cerebri quantitate major hoſpitatur ſpirituum animaliũ copia majórque

ideò diſſipatur per hujuſce partis vulnera. Contrà verò in parte cerebri poſteriore cerebello ſcilicet pauci nidulantur ſpiritus. Itaque per hujuſce partis vulnera non fit horum diſſipatio. Id ſatis conſtat ex avium cerebris, quæ cùm tota ferè conſtent ſubſtantiâ corticali, quotidie ludentes pueri acu transfigunt nec tamen moritur animal. Hæc meliùs aſſequetur quem Villiſiana de cerebri & cerebelli uſibus hypotheſis non fugiet.

LXXXVI.

Ὁκόσα καὶ ἁρμοσθῆναι ὀκτέα ἐκπεσεῖν, ταῦτα αὐτὰ εἰδέναι χρὴ ὅτι ἀποστήσει, καὶ ὅσα τελέως ἐψιλώθη τῶν σαρκῶν. De Fract.

Quæcunque oſſa reponi non potuerunt, ea neceſſariò abſcedere ſciendum eſt, nec non quæ prorſus carne nudata ſunt.

Non eſt hîc intelligendus Hippocrates de oſſibus luxatis, ſed de oſſibus fractis: luxata enim oſſa etſi ſuas in ſedes non reponantur, non idcirco abſcedere notum facit experientia, cùm multi à multis annis

abſque oſſis corruptela luxationes patiantur immedicabiles. Sed de fracto oſſe eſt audiendus. Et quoniam omne quod frangitur os neceſſariò in ea quæ frangitur parte perioſtio nudatur, niſi fracti oſſis extremitates coëant, profectò abſcedit os, præſertim verò magis ſi pars oſſis fracti ſuperatis carnibus foris ſe det in conſpectũ & modò aëri exponatur.

LXXXVII.

De Aliment.

Ρινὶ δὲ ἐς πέντε, γνάθῳ, καὶ κλειδὶ, καὶ πλευρῇσι δεκαπλάσιαι, πήχει εἰκοσαπλάσιαι, κνήμῃ καὶ βραχίονι τετραπλάσιαι, μηρῷ πεντηκονταπλάσιαι.

Naſo decem dies neceſſarij *ad fracturæ conſolidationem*, maxillæ, claviculæ & coſtis viginti, cubito triginta, tibiæ & & brachio quadraginta, femori quinquaginta.

In univerſum teneriora & molliora oſſa citiùs coaleſcunt fracta, quàm duriora: abundant enim magis humore ad calli generationem neceſſario: quapropter naſo tantùm de-

cem, cæteris ossibus recensiti dies debentur ad consolidationem, saltem ut plurimùm; nam multæ faciunt causæ ut hæc varientur; anni siquidem tempestas, regio, natura, ætas ægri, victus ratio, deligandi modus sæpè in causa sunt, ut citiùs vel seriùs fracturæ corroborentur, callóque obducantur.

LXXXVIII.

Τὰ χαυνότατα τάχιστα φύεται· τὰ δὲ ἐναντία, ἐναντίως. Mochl.

Quæ laxa sunt admodum, citissimè coalescunt: contrà verò quæ contrario se habent modo.

De ossibus præcipuè intelligendus venit hic Aphorismus, quæ quo molliora sunt & laxiora eo citiùs coalescunt: ad callum enim obducendum multa requiritur humiditas, quæ in siccioribus & solidioribus ossibus nonnihil desideratur. Non minùs tamen verus est si de vulneribus partium carnosarum intelligatur.

Quis enim ignorat, callo obducta ulcera, non posse, nisi callo prius consumpto, ad cicatricem perduci? aut oris & linguæ vulnera citiùs coalescere quàm aliarum partium musculosarum, & carnis musculosæ citiùs quàm partis membranosæ aut cartilagineæ.

LXXXIX.

Ibid. Τῶν χωρίων μασχάλαι δυσιπτότεραι, καὶ κενεῶνες, καὶ μηροί· ὑποστάσιες γὰρ ἐν αὐτοῖσι γίνονται καὶ ὑποστροφαί.

Ex partibus difficiliùs sanantur alæ ac laterum cavitates & femora: in his námque humores colliguntur & recidivæ fiunt.

Hic Aphorismus conjunctam rationem habet, ubicunque enim humores colliguntur, ibi difficiliùs curatio succedit, & recidivæ fiunt. Tales sunt alæ quæ sunt corporis emunctoria, laterum cavitates quæ affluentem humorem recipiunt, & femora quæ declivia sunt, & parùm compacta.

X C.

Μῦες στερεώτεροι δυσέκλυτοι τ ἄλλων, πάρεξ ὀστέου καὶ νεύρου.

Muſculi ſolidiores ægriùs reliquis partibus colliqueſcunt, excepto oſſe & nervo. De Alim.

Ne quidem in arte tyronibus veritas hæc non patet, quo etenim alicujus corporis ſtrictior eſt compages, ſolidior ſubſtantia, altiórque denſitas, eo etiam ipſius fit ſolutio difficilior. Experiuntur id quotidie Pharmacopœi, nec non & Chymici, quorum menſtrua citiùs hæc quàm iſta diſſolvunt corpora, quique nonnunquam igne nunc intenſiori nunc benigniori opus habent, ut ſuas ritè operationes exequantur, ut ſcilicet eorum menſtruum ignis beneficio attenuatum & rarefactum ſolidiores mixti diſſolvendi partes incidat; penetret & ſolvat. Ita in corpore humano ſi ignis præter naturam ardentior excitetur, ut fit incauſo, aut magis aculeati humores

præcominentur, tunc molliores te-
nerioresque partes priùs abſumun-
tur quia facilius in motum rapiun-
tur, eandem verò arefcunt ſolidio-
res. Ex quibus concludere licet in
primis, quòd quo magis muſculi ſo-
lidiores colligerentur, eo & ignis
acrior erit. Nomine autem nervi
tendinem videtur intelligere Hippo-
crates, ut ſæpè alibi: is enim ſoli-
dissimis tendinem ſecundum ob oſſe
accipit.

XCI.

Ibid. Ὅσοις ἐκ τοῦ ὑπερῴου ὀστέον ἀπέλθῃ, μέσος ὁ ῥὶς ὑφίσταται.

Quibus ex palato os diſceſ-
ſit, iis medius naſus ſubſidet.

Primi os quod unum & ſimplex in adultis, duplex verò in pueris eſt, indicat os quod ratione figuræ vomer appellatum fuit, cui lamina quædam oſſea dextram naſi partem a ſiniſtra dividens, ob id ſeptum naſi dicta, innititur. Hæc autem pars in anteriore ad extremum naſum externis cartilaginea eſt. Quando ita-

que os palati carie conſumptum diſceſſit, neceſſariò vomer concidit, concidente vomere, dicta lamina quæ ſeptum naſi eſt deprimitur, hac depreſsâ neceſſe eſt etiam ſubſidere partem ejus anteriorem cartilagineam, ac conſequenter medium naſum. Cæterùm notandum eſt hîc Hippocratem dixiſſe quibus os ex palato diſceſſit, non verò quibus os palati, quod non ſine ratione neque ſine ſale poſitum videtur. Etenim ſive ipſum os palati, ſive ſolus vomer qui os ex palato dici poteſt, diſceſſerint, verum eſt medium naſum ſubſidere, magis tamen iis quibus os palati abſumptum eſt, quàm quibus vomer ſolus.

XCII.

Γύψις ἡ μὲ ἔσω ἐπιθάνατος, ἕρων σχέσις, ἀπονάρκωσις. Ibid.

Vertebrarum intus luxatio lethalis, urinæ ſuppreſſionem & ſtuporem accerſens.

Omnes vertebrarum luxationes

periculoſæ ſunt propter diſtorſionem ſpinalis medullæ in illis contentæ, & nervorum qui ab illa procedunt divulſionem. Unde ſtatim tracto, ſubſtantiæ communione, in conſenſum cerebro, horrenda ingruunt ſymptomata. Sed ex omnibus vertebrarum luxationibus maximè periculoſæ luxationes quæ intro vergunt; compreſſis enim nervis ſtupor accidit, & quoniam qui ab intercoſtalibus ramis ad veſicam pertinent nervi etiam comprimuntur, veſicæ ſtupor infertur, & à veſicæ ſtupore urinæ ſuppreſſio. Facta enim ſenſus expers veſica urinæ ſpernit aculeos & ad illius execretionem nullatenus invitatur. Hinc refluente ad univerſas corporis partes ſero calor nativus elangueſcit, pulmones obruuntur, caput oppletur, & univerſa ferè animalis œconomia concidit. At hæc omnia eveniunt præcipuè luxatis lumborum vertebris, unde veſicæ ſtupor & urinæ ſuppreſſio ſuccedit.

XCIII.

Prorth. 2. Οἱ νωτιαῖοι μυελὸς, ἢν νοσέῃ ἐπὶ πλέον, ἀ-

ἢ ἐξ ἄλλης προφάσεως, ἢ σκελέων ἀκρατὴς ἦ ὁ ἄνθρωπος, ὥστε μηδὲ θηλυνόμους ἐπαίειν καὶ τὸ γαστρὸς καὶ τὸ κύστεως.

Si ſpinalis medulla ex lapſu aut aliquâ aliâ causâ laborarit, crurum impotens fit homo, adeò ut ne ſenſum quidem habeat alvi & veſicæ.

Si partibus ſuperioribus cerebrum, cerebellum & medulla oblongata ſenſum motúmque largiantur, ita inferioribus ſpinalis medulla, unde crurum impotentia, ut & ventris & veſicæ, ſi mox ſuboriatur, hanc malè affectam eſſe conjicere licet: cujus infortunij frequentiores ſunt, quæ ſequuntur cauſæ, vel vertebrarum luxatio à lapſu, vel ipſarum vertebrarum exoſtoſis, ut in rachitide laborantibus, unde violentiùs inflectitur, vel ſeri copia, qua opprimitur, vel ſpirituum necroſis aut defectus ut in valde ſenibus.

XCIV.

Prorrh. 2.

Αἱ νόμαι θανατώδεσαι ὧν αἱ σπε-

δόνες βαθύτας καὶ μελάντας καὶ ξηρότατας.

Ulcera ſerpentia maximè ſunt lethalia, quæ putredines profundiſſimas habent, nigerrimas & ſicciſſimas.

Etenim talia ulcera maximam roridæ primigeniæque humiditatis abſumptionem indicant, magnámque caloris nativi labem, quo abſente, veluti in macrocoſmo Sole vegetabilium & totius naturæ parente, languent areſcúntve affectæ microcoſmi partes; unde in iis profunda & cacoëthea admodum ulcera fieri neceſſe eſt.

XCV.

De Ulcer. Ἕλκει νεοτρώτῳ παντὶ πλὴν ἐν κοιλίῃ ξυμφέρει αἷμα ποιέειν, ἀποῤῥοέειν πυκνά. ὅκως ἂν δοκέῃ καιρὸς εἶ): κωλύει γὰρ μάλιστα τὰ τοιαῦτα ἕλκεα ὑγιαίνειας καὶ θερμαίνεσθαι.

Omni recenti ulceri præterquam in aliqua cavitate ſanguinem

guinem plùs minúſve effluere expedit: impedit enim ut plurimùm ne humida fiant & inflammentur talia ulcera.

Jam ulceris recentis curationem docet divinus Senex, & præſertim monendo ut ritè à ſanguine repurgetur, ne humidum nimis fiat, & inde inflammationem concipiat, quæ duo integræ ulceris curationi ex diametro ſunt adverſa.

XCVI.

Ἕλκος λῷον ἢν προγεγονὸς τύχῃ ἔχων, λῷον τε ἢν ἐν τῇ νόσῳ γένηται, λῷον μέλλῃ ἀπόλλυσθαι ὁ ἄνθρωπος, πρὸ τοῦ θανάτου πελιδνόν τε καὶ ξηρὸν ἔσται, ἢ ὠχρόν τε καὶ ξηρόν. Progn.

Ulcus ſive ante morbum, ſive in morbo natum ſit, ubi periturus eſt æger, ante mortem lividum & ſiccum, aut pallidum & ſiccum erit.

Ut ex ungue leonem, ita ex ulce-

ris natura, de œconomiæ naturalis ſtatu judicium ferre licet; lividum enim & ſiccum eſſe minimè poteſt ulcus, quin eodem tempore multo ſale acri & lixivioſo ſcateat ſanguinis maſſa, à cujus prædominio vibices, anthraces & exanthemata modò nigra, modò livida fiunt, ut in peſte & febribus malignis obſervare eſt. Quòd verò lividitas vel nigredo à ſale acri & lixivioſo ortum habeat, patet ex cauterij potentialis admotione ſale lixivioſo conſtantis. Primùm enim rubet cutis, deinde colorem lividum acquirit & tandem atrum. Lividitas ergo & ſiccitas ulceris, cùm ſint depaſcentis & erodentis hujuſce ſalis prædominantis argumentum, non mirum ſi divinus Senex, periturum ægrotantem monuerit. Pallidum etiam & ſiccum ejuſdem ominis eſſe pronunciat, quippe quòd non obſcurè indicet, jam non ſufficere ſpiritus ad animalis fabricæ irradiationem, vel ipſoſmet necroſi affectos, nec non ſanguinis circulationem pigram ac torpidam eſſe, & conſequenter mortem

in procinctu. Cæterùm eandem profert ſententiam in Coacis; *Ulcus lividum, aut ſiccum, aut pallidum factum, mortem indicat.* In praxi autem hujus rei veritatem obſervamus; ſiquidem ulcera quæ in febribus malignis veſicatoriorum ope excitamus, ubi ſicca & pallida fiunt, proximam mortem ferè ſemper nobis ſignificant.

XCVII.

Τὰ ἕλκεα λῦῃ μὲν ἀναναθαίρειν, πύῳ λιπεῖ, ταχείαν θεραπείαν δηλοῖ: ἢν δὲ μεταβάλλει ἐς τὰς ἰχῶρας, κακοήθη γίνεται. De Criſib.

Ulcera ſi repurgando pus album rejiciant, celerem curationem denunciant: ſed ſi ad ſanioſos ſeroſóſve humores vertantur, maligna fiunt.

A prioris explicatione potior hujuſce aphoriſmi deſumitur ratio; ex eo etenim pus album ab ulceribus profluit, quòd maſſa ſanguinea ſalibus acribus vel acidis nimiùm non

ſit aculeata: quorum exuperantia ſaniei ſeríque parens eſt, unde ulcera circumglabra, quæ in antiq. Aphoriſm. recenſuit, maligna appellavit. Puris autem laudabilis notas tradit Hippocr. in Prognoſt. *Pus optimum eſt album, æquale, & læve & quamminimum graveolens, huic autem contrarium peſſimum.* Exempla profert aphoriſm. antiq. 44. & 45. ſect. ſeptimæ. Et experientia hanc veritatem confirmat. *Album* quidem pus ſi excernatur partis in qua confectum eſt integritatem & temperaturam indicat laudabilem. *Æquale* naturæ bene agentis & à variis humoribus non perturbatæ ſignum eſt, ſive æqualitatem in ſubſtantia, ſive in colore intelligas. *Læve* materiæ benignitatem, perfectum ipſius pepaſmum, caloríſque nativi prædominium teſtatur. *Quam minimùm graveolens* inſolitæ corruptionis abſentiam notat, quippe quòd puris fœtor, corruptionis partis, ejuſdémque necroſeos indubitata ſit proles.

XCVIII.

Πῦον ἢν ἐπιχύσῃ ἐπὶ τὸ ἄρθρον σκληρότερον ἀνάγκη γίνεσθαι: ἢν δὲ καὶ οἰδήματα παραμείνῃ, σκληρὸν ἀνάγκη πολλῷ χρόνον τοῦτο τὸ χώριον γίνεσθαι. Prorrh. 2.

Pus ſi ad articulum accedat, duriorem eum reddi neceſſe eſt: quòd ſi etiam tumores ſimul perſeverarint, neceſſe eſt eum locum in multum tempus durum eſſe.

Articuli cùm ſint partes frigidæ & nerveæ, vix expellere & edomare poſſunt humores ſive ſuppuratos, ſive non ſuppuratos, unde iis imbibuntur tendines, & intumeſcunt ac indurãtur articuli; ita ut eorum motus impediatur. Cæterùm noſter Hippocrates in hoc libro multa proponit circa vulnerum, præſertímque nervorum articulorúmque curationem, & poſtquam diſquiſivit de teli aculeo, de obliquitate vel rectitudine vulneris, non neglectâ ipſius profunditate, tandem

puris in articulo latentis notas exhibet, ſtatim atque durus evadit. Nec mirum id videri debet, collecto enim in articulo pure, mox intumeſcunt membranæ, craſſiores fiunt muſculorum tendines & tandem oſſium acetabula muco viſcido implentur: hinc inquam partes nervoſæ à puris diuturniori morâ exulcerationem patiuntur, quarum curationem difficilem & longam in praxi verſatus nemo neſcit.

XCIX.

De Inſomn. Ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ οὐρανὸν, καὶ ἀστέρας, καθαρὰ καὶ εὐαγέα καὶ τρόπον ὁρώμενα ἕκαστα, ἀγαθά· ὑγείην γὰρ τῷ σώματι σημαίνει.

In ſomnis ſolem & lunam, & cœlum atque ſydera pura & ſuo motu agitata videre, bonum: ſanitatem enim indicat.

Mirum non eſt ſi tantam in Medicina peritiam adeptus ſit Hippocrates, qui nihil quòd ad artem

ſpectet unquam neglexit, eoúſque ut ſanorum & ægrorum ſomnia examinaverit, ex iiſque præſagia tulerit. Huic autem peculiari præſagio conſentiunt alij Autores Oneirocritici, inter quos hæc habet Aſtrampſychus, quæ fortè ab Autore noſtro mutuatus eſt: Ἄστρα βλέπειν κάλλιστον ἀνθρώποις πέλει: id eſt, *Aſtra videre in ſomnis optimum hominibus portendit.*

C.

Εἰ δὲ κολυμβᾶν ἐν λίμνῃ, ἢ ἐν θαλάσσῃ, ἢ ἐν ποταμοῖσι δοκέει, οὐκ ἀγαθόν: ὑπερβολὴν γὰρ ὑγρασίης σημαίνει, πυρέτλοντι δὲ ἀγαθόν. Ibid.

Si verò in ſtagno aut mari aut fluminibus natare quis ſomniet, bonum non eſt, cùm humiditatis exuperantiam indicet, febricitanti verò bonum.

Aſtrampſychus νῆξις θαλάσσης, ἀχρίας δηλοῖ λύπας, *natatio marina ſævos indicat dolores*: & paulò ſuprà ἐλαὶη πεπλυκὼς τὸ νεὸς νόει βλάβην, *ſi in*

limo navigaveris, mentis conjice noxam.

C I.

Ibid. Ποταμῶν διαβάσεις, καὶ ὁπλῖται καὶ πολέμιοι, καὶ τέρατα ἀλλόμορφα, νοῦσον σημαίνει ἢ μανίαν.

Fluviorum tranſitus, hoſtes armati, monſtra difformia, morbum aut furorem præſagiunt.

Hæc enim ab agitatis humoribus, utrâque præſertim bile, quæ magnam ad morbum ſi in ſanis accidant diſpoſitionem indicant, & ad delirium ſi in ægris.

APHORISMI NOVI.

SECTIO IV.

Diætetica.

I.

Ὧν σιτίων καὶ ποτῶν τὰ προσφορώτατα τῷ σώματι, ὅταν τις αὐτοῖσι μὴ ἐν καιρῷ χρῆται, ἢ πλέοσι τοῦ καιροῦ, αἵ τε νοῦσοι, καὶ ἐκ νούσων οἱ θάνατοι γίνονται. De Diæt. in acut.

Ex cibis ac potibus qui corpori maximè conveniunt, cùm quis ipsis non oportunè aut justo pluribus utitur, tum morbi, tum ex morbis mortes accidunt.

Et è contra, *ſi quis pauca edat & pauca bibat, nullum inde morbum experietur.* Hippocr. l. 4. de morb. Hinc medicum illud elegans adagium, *modicus cibi Medicus ſibi.*

II.

Ibid. Πονηρὴ ἡ ὄξιν ἡ τοιήδε δίαιτα: ὅταν τις πλείονας τροφὰς δίδωσι τῷ σώματι; καὶ ὅταν ποικίλας ἀνομοίως ἀλλήλῃσιν ἐσπέμπῃ: τὰ γὰρ ἀνόμοια στασιάζει, τὰ μὲν θᾶσσον, τὰ δὲ σχολαίτερον πέσσεται.

Prava autem hæc eſt diæta, cùm quis plures cibos corpori præbet; deinde cùm varios & diſſimiles ingerit. Diſſimilia enim ſeditionem excitant, & alia citiùs alia tardiùs concoquuntur.

A nimia ciborum copia generantur cruditates, à quibus varij oriuntur morbi, colicæ, diarrhœæ, ſtomachi dolores & inflationes, febres putridæ dum putreſcunt & ſanguini miſcentur. A diſſimilibus autem va-

riíque generis cibis, nimia excitatur fermentatio, & inæqualis eorum coctio, quibus corporis functiones turbari neceſſe eſt.

III.

Ἕτερα τ̃ ἑτέρων τὰ ἐδιόμενα καὶ πινόμενα φάρμακά ἐστι. De morb. lib. 4.

Quæ eduntur aut bibuntur, alia aliorum ſunt medicamenta.

Sicut cibi & potus, aut copioſi aut pravi varios inducunt morbos, ita appoſitè exhibiti, varios etiã errores in corpore emendare poſſunt, quos præcedentes pepererunt. Ita crudi, viſcidi, dyſpeptíque cibi, attenuantium, calidorum & eupeptorum ciborum ope corrigentur. Sícque fient alimenta medicamentoſa, eo medicamentis præſtantiora, quòd naturæ magis amica ſint.

IV.

Χρὴ δ̃ καὶ τὰ μαθήματα ποιεῖσθαι ἐν τῇ διαίτῃ τ̃ ἀνθρώπων ἔτι ὑγιαινόντων, οἷα ξυμφέρει ἐν τ̃ νοσέουσι. De diæt. in acut.

Oportet autem addiſcere ex hominum adhuc ſanorum victus ratione, quænam in eorum morbis conducere poſſunt.

Hæc ſententia Medica, eſt inſtar fulcri cui innititur Aphor. 50. ſect. 2. Aphoriſmorum veterum. *Conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minùs moleſta eſſe ſolent:* qui Aphoriſmus hujuſce ſuprà propoſiti quoddam eſt quaſi corollarium. Utriuſque verò fons repetendus unicè à conſuetudinis dignitate ac potentia, quæ ſæpiſſime in naturam tranſit, teſte Cælio Aureliano, c. 2. l. 3. chronic. imò quæ & ipsâ naturâ potentior eſt, juxta Quintum Curtium lib. 5. cùm etiam conſtet, germanam naturam longæ conſuetudinis auſpicio, in extraneam tranſmutari poſſe, ut loquitur Guil. Puteanus l. 2. de purg. c. 11. Quo fit ut ſummam paſſim conſuetudinis rationem habendam eſſe ſanciat divinus ſenex.

V.

V.

Τὰ σιτία ἐς ὑγείλω ἄριστα, ὀλίγιστα ἐσιόντα, αὐτάρκεά ἐστι καὶ λίμυ καὶ δίψης ἄνθρ ἔδι; καὶ πλεῖστον χρόνον τὸ σῶμα αὐτὰ δέχεθ, καὶ διαχωρέει κ' λόγον. De Affect.

Cibi ad ſanitatem optimi, qui parvâ quantitate ingeſti, ſatis ſunt ut fami & ſiti medelam afferant, qui diu in corpore retinentur, & moderatè per alvum ſecedunt.

Optimi ſucci cibos eſſe oportet, qui parcâ manu ſumpti appetitui ſatisfaciunt; corpori amicos, illos quos diutius retinet; tandem & ſuperfluitatibus carentes, qui copioſiùs alvum non cient. Ergo fructus crudi & olera minimè hiſce recenſeri debent, cùm famen non probè extinguant, citò per alvum ſecedant; & copioſiores fæces generent.

VI.

Τὰ ἀσθενέστερα σιτία ὀλιγοχρονίαν βιοτὴν ἔχει. Epid. 6. ſect. 5.

Imbecilles cibi vitam brevem præſtant.

Imbecillis cibus non alius intelligi poteſt, quàm qui parum alimenti corpori ſuppeditat. Talia ſunt olera & plurimi arborum fructus. Iſti igitur vitam brevem præſtant, id eſt, iis veſcentes brevis vitæ reddere apti ſunt. Galenus in hunc locum. Hinc colligere eſt, auſteriorem diætam non omnibus promiſcuè conſulendam, cùm multi ſint qui ab ipſa inſigniter lædantur, quales ſunt oligæmi, macilenti, viribus effœti, quibus polytropha potiùs ſunt commendanda ac uſurpanda ad roboris redintegrationem, aut conſervationem. At inquiet aliquis, undenam ergo antediluviani homines, qui oleribus & fructibus veſcebantur, tam diu vitam prorogabant? Reſponſum habe, non phyſicam hîc ſed moralem inquirendam eſſe rationem. Vita longa neceſſaria erat ad celerem illam generis humani propagationem. Vel igitur, Deo ſic volente, fructus & olera optimum & forte ſuppeditabant alimentum, vel alio quopiam modo nobis ignoto reparabatur illa alimentorum imbecillitas.

VII.

Ἡ δυσαλλοίωτος τροφὴ, δυσεξανάλωτος: ἡ εὐπρόσθετος, εὐεξανάλωτος. De Alim.

Alimentum quod ægrè immutatur, ægrè diſſipatur: quod facilè apponitur, facilè conſumitur.

Huic generali effato aliquâ ex parte concinit Aphor. 18. ſect. 2. *Eorum quæ confertim & celeriter alunt, celeres etiam fiunt excretiones:* in quo explicando multus eſt Galenus in commentario. Quemadmodum autem cibi duriores ac denſiores, quorum ſubſtantia pertinaciùs in corporibus hæret, ſanis magis conveniunt, ita fluidiores concoctúque faciliores ægris & convaleſcentibus veniunt uſurpandi. Quid ſi dicamus hunc ipſum novitium textum, Aphoriſmi illius veteris paulò antè citati meram eſſe epexegeſin? Fortaſſe & illius quoque, qui undecimus numeratur ſect. 2. *Facilius eſt potu refici quàm cibo?* quod & ſequens textus expreſſiùs præſtat.

VIII.

Ibid. Ὁκόσοι ταχείης προσθέσιος δέονται, ὕδρον ἴημα εἰς ἀνάληψιν δυνάμιος κράτιστον: ὁκόσοι δ' ἔτι ταχυτέρης δι' εὐοσμήσιος.

Qui celeri appositione indigent, iis humidum alimentum ad resumendas vires optimum, qui verò adhuc celeriori, per odoratum.

Cùm corporis humani systasis triplici substantiâ absolvatur, videlicet spirituosâ, humidâ, ac solidâ, æquum est ut uniuscujusque jactura, sibi analogis cùm præcaveatur tum resarciatur: quo fine & alimenta & medicamenta heic locum habere possunt, quæ sanè utraque, ἴημα voce comprehendere voluisse Autorem libri hujusce credibile est, rationique planè consentaneum. Quanquam enim medicamentum propriè sumptum ab alimento distinguatur, quòd illud quidem nostram naturam alteret, hoc verò à natura superetur: tamen latiori notione medicamen

etiam vocari poteſt quicquid humanis uſibus impenditur : quo ſenſu Divus Auguſtinus in Homiliis alicubi dicebat ; *Medicamentum famis cibus eſt , medicamentum ſitis potus , laſſitudinis ſomnus , ſeſſionis deambulatio , deambulationis ſeſſio , &c.*

I X.

Σίτιον νέοισιν ἀκροσαπὲς, γέρουσιν ἐς τέλος μεταβεβλημμένον , ἀνδράσιν ἀμεταβλήτου. Ibid.

Cibus juvenibus leviter coctus , ſenibus extremè immutatus , in ætatis vigore conſtitutis minimè immutatus.

Arbitror huc reſpexiſſe Latinum Hippocr. Celſum,ad calcem cap.18. l.2. de re med. his verbis : *Imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus eſt : mediocriter firmos media materia optimè ſuſtinet : & robuſtis apta validiſſima eſt.* Certum enim eſt pro variâ caloris nativi efficaciâ , varianda eſſe alimentorum quæ ſingu-

lis offerenda veniunt genera : hinc ſenibus probè concocta , nullóque penè negotio alterabilia , quemadmodum & deſidibus vitámque otioſam agentibus , morbo extenuatis, ſtomachíque languore laborantibus, maximè conveniunt ; Firma verò & conſiſtentiâ craſſa firmis , robuſtis, & exercitationibus deditis præſcribenda ſunt : medio modo ſe habentia (quæ heic per ἀκροσαπέα intellexit Hippocr.) reliquis , inter ſenum ac ætate florentium conſtitutionem ambigentibus.

X.

Epid. 6. ſect. 5. Θερμοκοιλίοισιν ἰσχυρὰ πόλα ἢ βρωτὰ, ταραπλικά.

Fortes cibi aut potus eos qui ſunt calido ventriculo contúrbat.

Alimentorum differentiæ aliæ conſtituuntur , quatenus inter ſe mutuò collata , vel ſunt boni vel mali ſucci, vel multùm aut parum nutrientia, vel facilis aut difficilis coctionis :

aliæ verò differentiæ, quatenus hæc ipſa ad varias hominum naturas, & diſcoloria vitæ genera referuntur: quo reſpectu alimenta valentia Hippocrati dicta, hoc eſt, quæ probè concoquuntur, ſubiguntur ac uniuntur, robúrque ac nutrimentum affatim conferunt, iis qui calidiore ventriculo præditi ſunt, quales ut plurimùm ſunt ruſtici, infeſta ſunt ac noxia: teneriora ſiquidem aſſumpta, apud ipſos corrumpuntur & inquinantur; durioribus enim opus eſt ipſis, quæ facilè conficiunt & coquunt, unde nullam ventris perturbationẽ ſive per diarrhœã ſive per vomitum percipiunt, ſicut ex uſu delicatiorum eduliorum, qualia ſunt perdicum, pullorum gallinaceorum, & pipionum carnes. Ut heic miſſam faciam certam quorundam individuorum ad hæc illáve, cæteroquin per ſe laudabilia alimenta, ἀνίπαθειαν, præquâ ab ipſis minùs juvantur quàm à deterioribus, quibuſcum meliùs ipſis convenit: quod voluit divinus ſenex, Aphor. vet. ſect. 2. Aphor. 38. Paulò deterior & potus & cibus,

&c. quæ utique res quanti sit in Diætetica momenti, nemo non intelligit.

XI.

De diæt. l. 2. Ὁκόσα ὑγρὴν φύσιν ἔχει, καὶ ψυχρὴν καὶ μωρὴν, καὶ ὀσμὰς βαρείας, ἐπωχωρέες μᾶλλον, ἢ οὐρέες.

Quæcunque humidâ & frigidâ naturâ sunt, ac insipida, odoréque gravi, per alvum magis quàm per urinas secedunt.

De oleribus silvestribus, quæ sunt è classe alimentorum medicamentosorum heic agere Hippocr. constat ex inspectione loci unde erutum fuit istud effatum: quædam ergo talium alvum potiùs lenire ac ciere videntur, quæ primò commemorantur; quædam tantùm abest ut alvum lubricent, cùm ipsam potiùs sistant ac indurent; quædam denique diuretica sunt, ac lotia provocant. Quæ in primo genere censentur, adeóque alvum leniunt, id ipsum præstant par-

tim per accidens, utpote quòd aquoſa ſint, humida & potulenta, partim per ſe, quòd leniter detergant, ſtimulent, atque fæces emolliant, facultate leviter ſalino-ſulfureâ quâ pollent, & quam odore gravi quem eructant, nobis indicant. Quæ adſtringere alvum dicũtur acerba atque auſtera, ſale auſtero conſtringente abundant. Quæ denique urinas ciere dicuntur, id præſtant ſtimulando, præcipitando, fundendóque ſanguinem, ſerúmque facultate quadam ſalinâ ſecernendo; quam facultatem acrimonia guſtui ſeſe exhibens, & ſuaveolentia nares feriens ſatis evincit.

XII.

Ὀπόσα ϗ ἐστι στυφνὰ καὶ αὐστηρὰ, ἰσχάσιμα. Ibid.

Quæ verò acerba & auſtera ſunt, alvum ſiſtunt.

Acerba & auſtera terreſtribus conſtant partibus, quæ ideo alvi libertati obſtant: quo enim craſſiores & ſicciores ſunt fæces, eo magis ſiſti-

tur alvus. Tales autem ſunt immaturi fructus, meſpila, granata, quæ non levem acerbitatem obtinent; talia & aluminoſa omnia quæ maximè ſtyptica ſunt.

XIII.

De Affect. Τὰ ἁλμυρὰ διαχωρέει καὶ διυρέει.

Salſa alvum & urinam cient.

Salſa fundendo humores & fibras inteſtinorum ac veſicæ irritando alvum & urinam movent: & quidem magis alvum ſi in illis alcali prædominetur, magis urinam ſi acidum. Ita nitrum in quo acidum prædominatur maximè diureticum eſt, ubi verò ſulfuris ope calcinatur & alcaliſatur, quemadmodum ſal polychreſtum paramus, tunc præcipuè purgans evadit. Inde fit ut aquæ minerales quæ variis ſalibus ex terra in qua tranſeunt imprægnatæ ſunt, alvũ & urinam moveant: & quidem magis alvum ſi ſalia quibus turgida ſunt alcalia ſint & ad antiquorum nitrum accedentia, ut aquæ Borbonienſes,

Vichienſes, Vallenſes ; magis verò urinam ſi ſal illud quo imprægnantur ſit aluminoſum, ut Aquenſes in Sabaudia : tandem æqualiter alvum & urinam, ſi ſale alcali & vapore quodam metallico acidulo turgeant, ut Santalbanenſes, Sancti Medulphi, ſimiléſque aliæ.

XIV.

Ὀκόσα ὀ δριμέα καὶ εὐώδεα, οὐρέει. De diæt.

Quæ acria & odorata, urinam provocant.

Talia ſunt cepæ, raphani, apium, radix ireos, aſparagus, terebinthina. Ex iis nonnulla manifeſtè acidum multum continent veluti cepæ & raphani, nec non & terebinthina ex qua elicitur ſpiritus acidus : alia partibus conſtant volatilibus & penetrantibus, quæ glutinoſos humores in ſerum fundendo & veſicam titillando urinam provocant, ut millepedes, cantharides, quæ quidem ultimæ non ſolùm acres ſed & coroſivæ ſunt. Cæterùm diureticorum

operationem tractarunt inter alios acutè ſatis Helmontius lib. de lithiaſi, cap. 5. & Vvillis in Pharmacopœa rationali, qui conſuli poſſunt.

XV.

De Affect. Τὰ ὀξέα λεπτύνει, δῆξιν ἐμποιέοντα.

Acida extenuant & morſum faciunt.

Acida omnia ſunt corroſiva & ideo nutritioni inepta. Nutritur enim corpus ex pingui & dulci alimento quod facilè apponitur & agglutinatur, non ex acido quod potiùs agglutinationem, mordendo ſcilicet & dividendo, impedit. Inde Hippocrates dixit ſuprà ſect. 2. Aphor. 12. Acidum omnium humorum qui in corpore inſunt maximè incommodum, cùm dulcis è contrà ſit accommodatiſſimus. Ita acetum iis qui πολυσαρκίᾳ laborant præſcribi ſolet utiliter. Memorabile hujus rei extat exemplum apud Famianum Stradam lib. 8. de bello Belgico. Ibi enim loquens de quodam Philippi II. Hiſpaniarum Regis

Regis Præfecto, ait ipſum ſub mediam fermè ætatem adeo increviſſe, ut faſciâ è collo demiſsâ ſuſtinendus venter eſſet. Is incommodum iſtud minuere volens vino valedixit, & aceto uſus eſt, effecítque ut ante mortem detumeſcente indies abdomine octoginta librarum pondo decreviſſe compertus ſit.

XVI.

Τὰ λιπαρὰ, καὶ τὰ πίονα, καὶ τὰ τυρώδεα, καὶ μελιτώδεα, ὀξυρεγμίην ὡς μάλιστα παρέχει, καὶ χολέρην, καὶ στρόφον, καὶ φύσαν, καὶ πλησμονήν. De morb.

Pinguia, unguinoſa, caſeoſa & melle condita, ructum acidum ferè cient, & choleram, & tormina, flatúmque & repletionem.

Pinguedo fit coagulatâ ſulphureâ ſanguinis parte ab acido aliquo. Caſeus fit pariter dum ab acido lac coagulatur. Mel eſt quoddam veluti florum & herbarum Elixir apum induſtriâ extractum: & cùm plantæ ſa-

lem contineant eſſentialem, neceſſe eſt etiam ut in ipſo acidum reperiatur. Itaque in caſeo, melle & pinguibus, acidum & ſulphur continentur. Si quando igitur in ventriculo hæc corrumpuntur, profectò in hac corruptione, mixtum dum in partes ſuas compoſitivas reſolvitur, ab acido ſui juris facto ructus acidi elevantur, & à ſulphureis partibus, bilis quæ tota ſulphurea eſt, augetur facilè, unde vulgare effatum, dulcia facilè in bilem verti. Interim verò gravato ventriculo flatus elevantur, & à flatibus repletio, id eſt tenſio ventriculi, & tormina ſeu in ventriculo ſeu in inteſtinis excitantur.

XVII.

Ibid. Ὅσα τῶν σιτίων ἢ φύσαν, ἢ καῦμα, ἢ δῆξιν περέχῃ, ἢ πλησμονὴν, ἢ τρόφον, οἶνος ἐπιπωνόμενος ἀκρήτως ἀπαλλάσσῃ τῶν τοιούτων.

Cibi qui aut flatum, aut ardorem, aut morſum, aut repletionem, aut tormina exci-

tant , ab ejuſmodi liberat vinum merum ſuperbibitum.

Vinum ſuo calore flatus reſolvit & flatulentorum eduliorum coctionem adjuvat. Medetur pariter ubi cibi corrupti ardorem aut morſum ſtomacho inferunt : neque enim puto Hippocratem loqui hîc de eduliis ſuâ naturâ calidis & acrioribus , ut ſunt piperata omnia & impensè ſalſa. Si enim ardor ab his inferatur , vinum omnino non erit remedium , ſed toxicum potiùs , quia hunc ardorem augebit ardore ſuo. Sed hîc loquitur Hippocrates de cibis flatulentis , qui ſi fortè corrumpantur, ſtomacho morſum aut ardorem aut tormina inferunt ; quæ enim corrumpuntur acrimoniam acquirunt. His omnibus vinum tanquam medelam proponit , quia coctionem juvat. Quod autem de plethora addit non puto deſignari plethoram univerſalem , quæ vino non corrigitur , ſed repletionem ſtomachi particularem à flatibus factam, quam vinum diſcutere valet.

XVIII.

De diæt. l. 2. Μονοσίτιη ἰσχναίνει καὶ ξηραίνει, καὶ τὴν κοιλίην ἴησι, διότι τῇ τ ψυχῆς θερμῷ τὸ ὑγρὸν ἐκ τ κοιλίης καὶ τ σαρκὸς καταναλίσκει.

Semel in die ſumptus cibus extenuat & ſiccat, alvúmque ſiſtit, quoniam animi calore ventris & carnis humidum abſumitur.

Monoſitia ſive cibus unica vice in die ſumptus corpus extenuat, quia ipſi ſubtrahit alimentorum partem, quâ opus haberet ut augeretur, aut ſaltem in eodem ſtatu permaneret: ſiccat verò quia *animi*, hoc eſt ſpirituum *calore* & agitatione à cibi abſtinentia procuratis, *ventris* & muſculoſæ *carnis humiditas abſumitur*.

XIX.

De diæt. in acut. Τὴν ἀσιτίην τὴν πρὸ τοῦ ἔθους, οἱ φλέγματα τὰ ἄνω εὐφορώτερον φέρουσι τοῦ ἐπίπαν.

Non consuetam cibi abstinentiam faciliùs omnino ferunt, qui partibus superioribus pituitosi sunt.

Pituita, inquit Galenus, successu temporis coquitur sanguísque efficitur: unde fit ut faciliùs abstinentiam ferant, qui pituitosi sunt: cùm in bilioſis contrarium accidat; inediâ enim amarior fit bilis.

XX.

Νηστεία πονηρὸν πρὸς τὴν κεφαλαλγίαν καὶ κραιπάλην. Ibid.

Jejunium ad capitis dolorem & crapulam malum.

Jejunium exacuit spiritus & sanguinem calefacit, ob chylosæ materiæ defectum, quæ sanguini commixta eum refrigerat, veluti aqua rotæ affusa calorem ejus obtundit. Supponendum tamen istum capitis dolorem à sanguine nimiùm agitato oriri, non autem à stomachi cruditatibus, quo in casu remedium esset

cibi abſtinentia. Quod verò ad crapulam ſpectat, non quidem recenti malum eſt jejunium, imò proficuum, cùm ſtomachus, vino & cruditatibus oneratus magis impediri non debeat. Sed malum eſſe jejunium intelligo in crapula, elapſo aliquo tempore, ubi ſcilicet ebrietatis noxa emicat, altero verbi gratiâ die. Tunc enim & dolori capitis ab ea excitato, & fervori ſanguinis, & virium debilitati, nullatenus jejunium convenit, ſed modicus & εὔπεπτος cibus venit exhibendus, qui & agitatum ſanguinem temperet & vires reparet.

XXI.

De diæt. l. 2. Ἄρτος συκομισὸς ξηραίνει καὶ διαχωρέει· ὁ δὲ καθαρὸς σιτίῳ μὲν μᾶλλον, διαχωρέει δὲ ἧσσον.

Panis ex farina integra ſiccat & alvum ſubducit: purus verò magis quidem nutrit, ſed minùs alvum ducit.

Athenæus lib. 3. plura recenſet panis genera: *Zymitem*, id eſt fer-

mentatum, *Azymum*, id eſt non fermentatum, *Chondritem* ex zea, *Syncomiſton*, & hunc quidem magis quàm purum, alvum laxare tradit. Eſt autem ſyncomiſtos ex farina ſine furfuris ſecretione compoſitus, qualem noſtrates *Pain bis*, *pain à tout* vocant. Alvum laxat ille, quia major in ipſo continetur quantitas terreſtrium partium quæ in fæcales faceſſunt materias: in alio verò minùs, unde chylus ex eo confectus ferè totus tranſit per vaſa lactea, & vix aliquas partes relinquit in inteſtinis.

XXII.

Ὁκόσων τ ζώων τὸ γάλα λεπτὸν, καὶ τὸ αἷμα ὅμοιον, καὶ αἱ σάρκες παραπλήσιοι. De diæt. l. 2.

Quorum animalium lac tenue eſt, & ſanguis ſimiliter, eorum quoque carnes conſimiles exiſtunt.

Conſtant animalium carnes ex fibris & ſanguine coagulato dictarum fibrarum ſpatium replente, quod fa-

cilè conſtabit, ſi muſculum quemvis in aqua calida diutius laves, abſterſo enim qui fibras replebat ſanguine fibræ albæ ſolæ remanebunt; jam verò ſic à natura ſumus conſtituti ut fiat perpetuus partium corporis noſtri effluxus, brevi nutritionis ope reſarciendus. Si itaque ſanguis ex quo carnes reficiuntur craſſus ſit, craſſeſcere illas, à craſſo ſanguine in fibris contento neceſſe eſt. Lac verò animalium chylus eſt, ac proinde quando lac tenue eſt, chylum reliquum tenuem eſſe neceſſe eſt. A chylo tenui tenuis fit ſanguis, à quo tenues carnes.

XXIII.

Ibid. Αὐτῶν δὲ τῶν ζώων ἰσχυρότεραι αἱ σάρκες αἱ κάλλιστα πονοῦσαι, καὶ ἐναιμόταται ἐν οἷσι καταπλίνεται· κυφόταται αἱ ἥκιστα πονοῦσαι, καὶ ἐπὶ τῶν σκιῆς, καὶ ὅσαι ἐσώταται τῶν ζώων.

Animalium autem ipſorum carnes validiſſimæ, quæ maximè laborant, & ſanguine abundant, & ſupra quas recum-

bunt : leviſſimæ quæ minimè laborant , & in umbra latent, & in intimis animalis partibus ſitæ ſunt.

Bifariam ſumi poſſunt hæ voces ἰσχυρότας, & κυφότας, vel quòd hæ carnes ſint validiſſimæ , & leviſſimæ in ſe , vel quòd validè , vel leviter nutriant ; ſíntque vel graves vel leves ſtomacho. His omnibus vera eſt Hippocratis ſententia hæc : quas enim partes natura aſſiduo motui deſtinavit , eas fibris donavit craſſioribus , & ob id validiores ſunt , ſtomacho graviores ; ſed ubi digeruntur validiùs nutriunt fiúntque alimenta polytropha ; quæ verò minùs laborant leviores ſunt, tum ratione propriæ conſtitutionis , has enim adeò validas eſſe neceſſe non erat , tum quia tantâ copiâ ad illas ſanguis non attrahitur , unde & ſtomacho leviores , & ὀλιγότροφοι exiſtunt.

XXIV.

Ἐν ἀλσὶ κρέα ταειχηρὰ πρόφιμα μᾶλ- De diæt. in acut.

ἧσσον, διὰ τὸ ἅλας; ἢ ὑγρᾷ ἀπεσεπημμένα: ἰσχναίνει δὲ καὶ ξηραίνει, καὶ διαχωρέει ἱκανῶς.

Carnes ſale conditæ minùs quidem nutriunt, humido à ſale ſpoliatæ: extenuant verò & ſiccant, abundéque alvum dejiciunt.

Docent hecticorum ſcorbuticorúmque exempla carnes ſalinis humoribus non nutriri: ipſi enim licèt famelici ſint & multùm comedant, quia tamen ſalinam induit ſanguis indolem macilenti ſunt & exſucci. Gaudent partes pro ſui nutritione benignâ quâdam gelatinâ omnis acrimoniæ experte, reſpuúntque quod ſalſum eſt & acre. Cùm verò non abeant in ſubſtantiam partium & ſenſibiles ipſarum fibras vellicent, alvum movent irritatis inteſtinorum fibris, & quoniam alvum movent, & non nutriunt, humorémque corporis ebibunt, ideò ſiccant & extenuant.

XXV.

Ὁκόσα τὰ ὕδατά ἐστιν ἁλυκὰ, καὶ ἀτέραμνα, καὶ σκληρὰ, πρὸς μὲν πάντα πίνειν οὐκ ἀγαθὰ: εἰσὶ δ' ἔνιαι φύσιες καὶ νοσεύματα εἰς ἃ ἐπιτήδεια ἐστι. De aëre loc. & aq.

Quæcunque aquæ ſalſæ & indomitæ & duræ ſunt, in totum quidem ad quotidianum potum improbandæ. Sunt tamen quædam naturæ & morbi, quibus utiles ſunt.

Emicant, inquit Plinius l. 31. c. 2. *benignè paſsímque in plurimis terris, alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi junctæ* aquæ, *ſicut in Tarbellis Aquitanicâ gente & in Pyrenæis montibus, tenui intervallo diſcernente*, &c. *nuſquam tamen largiùs quàm in Baïano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acidâ ſalsâve miſturâ: vapore quoque ipſo aliquæ proſunt.* Et paulò infrà de earũ utilitatibus diſſerens: *Iam*, inquit,

generatim nervis proſunt, pedibúſve aut coxendicibus, aliâ luxatis, fractíſve. Inaniunt alvos, ſanant ulcera, capiti, auribúſque privatim medentur, oculis Ciceronianæ: &c. In Ænaria calculoſis medentur. Aquas minerales ab Antiquis uſurpatas fuiſſe pro morborum curatione docent, præter hoſce Hippocratis & Plinij textus, magnifica antiquæ architecturæ rudera, quæ in variis Aquarum fontibus, veluti apud Borbonienſes utroſque ſuperſunt.

XXVI.

Ibid. Ὁκόσων αἱ κοιλίαι σκληραί εἰσι, τούτοισι μὲν τὰ γλυκύτατα ξυμφέρει καὶ ὑγρότατα καὶ λαμπρότατα.

Quibuſcunque alvi duræ ſunt, iis certè dulciſſimæ, leviſſimæ & limpidiſſimæ aquæ conferunt.

Tales enim aquæ faciliùs diſtribuuntur, nec augent obſtructiones quæ ſæpè conſtipationis alvi parentes ſunt. Leviſſimæ autem non intelligendæ

telligendæ quæ minoris ponderis ſunt, eſt enim quamminima inter aquas levitatis & gravitatis differentia; ſed eo ſenſu capiendæ quo alibi noſter Hippocrates, *Aqua quæ citò caleſcit & citò refrigeratur leviſſima.* Aphor. vett. 26. ſect. 5.

XXVII.

Ὁκόσων δ' μαλθακαὶ καὶ φλεγματώδεες, τούτοισι τὰ σκληρότατα, καὶ ἀτεραμνότατα, καὶ ὑφαλικά. Ibid.

Quibus verò molles & pituitoſæ alvi ſunt, iis duriſſimæ & coctu difficillimæ, & aliquantulum ſalſæ conveniunt.

Iſtæ enim aquæ aliquantulum aſtringunt, nec ita facilè per hypochondria diſtribuuntur, unde alvi durities ſequitur, aut ſaltem minor libertas.

XXVIII.

Τὰ μὲν ὄμβεια νεφότατα καὶ γλυκύτατά ἐστι, καὶ λεπτότατα, καὶ λαμπρότατα. Ibid.

Aquæ quidem pluviales leviſſimæ & dulciſſimæ ſunt, tenuiſſimæ & limpidiſſimæ.

Magna eſt inter Medicos quæſtio, utrùm pluviales aquæ ſanæ ſint. Negat Plinius, miratúrque ciſternarum aquas ab aliquibus maximè probari. *Sed hi*, inquit, *rationem afferunt, quoniam leviſſima ſit imbrium aqua, ut quæ ſubire potuerit ac pendere in aëre. Horum ſententiam refellere intereſt vitæ. Inprimis enim levitas illa deprehendi aliter quàm ſenſu vix poteſt, nullo penè momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus: nec levitatis in pluvia aqua argumentum eſt ſubiiſſe eam in cœlum, cùm etiam lapides ſubire appareat, cadénſque inficiatur halitu terræ, quo fit ut pluviæ aquæ ſordium plurimùm ineſſe ſentiatur.* De hac quæſtione multa apud Rhodiginum cap. 2. lib. 27.

XXIX.

Ibid. Ἄειστα ὁπόσα ἐκ μελεώρων χωρίων ῥέει ἢ λόφων γεηρῶν, μάλιστα δ' ὧν τὰ ῥεύματα πρὸς τὰς ἀνατολὰς τ' ἡλίου ἐρρώγασι, ἢ μᾶλλον πρὸς τὰς θερινάς.

Optimæ ſunt quæ ex ſublimibus locis & terræ tumulis fluunt, maximè autem quarum fontes ad ſolis ortum, præſertim æſtivum decurrunt.

Hæ enim, inquit, *dulces ſunt & albæ, modicúmque vinum ferre queunt, per hyemem calidæ, per æſtatem frigidæ; tales enim ex profundiſſimis fontibus proveniunt.* At paulò infrà; *Qui ſanus ac robuſtus eſt, is nullo habito diſcrimine, ſemper eam quæ adeſt bibat: Qui verò morbi causâ eam quæ maximè conveniat bibere volet, is hoc modo præcipuè ſanitatem conſequetur.*

XXX.

Τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων, πονηρὰ πάντα. Ibid.

Pravæ omnes quæ ex nive & glacie fiunt.

Ubi enim, ſubdit Hippocr. *ſemel concreverint, non amplius ad priſtinam naturam redeunt. Sed quod*

in his quidem eſt ſplendidum, & leve & dulce, excernitur & evaneſcit; remanet verò quod turbidiſſimum & ponderoſiſſimum. Quod hac ratione deprehendes. Si enim hyemis tempore vaſculum certâ aquæ menſurâ affusâ, ſub dio exponere voles, uti maximè congeletur, deinde poſtridie in locum calidum delatum: ubi glacies maximè liqueſcat, cúmque ſoluta fuerit, iterum aquam metiaris, aquam multò pauciorem reperies. Hoc certè indicio cognoſces, quòd congelatione, id quod eſt leviſſimum & tenuiſſimum evaneſcit & expirat, non quod graviſſimum & craſſiſſimum, cùm id ei contingere nequeat. Hinc fit ut iſtæ aquæ ſint duræ ac coctu difficiles, unde oriuntur obſtructiones variæ; ita ut tales potantes aquas, quales ſunt Alpium Pyrenæorúmque incolæ, ſtrumis maximè laborent, & ſæpè pravo totius corporis habitu.

XXXI.

Ibid. Ὁκόσοι τὰ ὕδατα ψάσιμα καὶ ὀδώδεα πίνουσιν, ἀνάγκη τὸ γαστρὸς ἀτρεπὲα εἶ καὶ σπλωὸς.

Quicunque aquas ſtagnantes & malè olentes in potu familiari bibunt, has ventri & lieni noxias eſſe certum eſt.

Eſt etiamnum vitium aquæ, non fœtidæ modò, verùm omninò quicquam reſipientis; jucundum ſit illud licèt, gratúmque & ut ſæpe ad viciniam lactis accedens. Aquam ſalubrem aëri quàm ſimillimam eſſe oportet. Plin. hiſt. nat. lib. 31. cap. 3. Aquæ ſtagnantes & malè olentes ſtomachum lædunt & ſanguinem impurum reddunt: unde ex non defæcato ſanguine lien obſtruitur, ac intumeſcit.

XXXII.

Ὑποπλεύσασι ἐν ταύτῃσι τῇσι νόσοισι ἢ καρηβαρίῃ ἰσχυρῇ ἢ φρενῶν ἄψιν, παντάπασιν οἶνος ἀποσχετέον· ὕδατι δὲ ἐν τοιῷδε χρηστέον. De Diæt. in acut.

In ejuſmodi morbis ubi vehementem capitis gravitatem, aut mentis læſionem metueris,

vino omnino abstinendum ; túmque aquâ utendum.

Caput mentémque vino tentari ait, eo quòd propter caliditatem celeriter ad caput feratur , ferventésque secum in corpore ferat humores. Quâ autem ratione caput ladit , eâdem & mentem : nam in capite sapientia ipsa sita est , & ea animæ pars quæ ratiocinatur. Galenus.

XXXIII.

De vet. Med. Οἶνος ἀκρητος πολὺς πιθεὶς διαλίθησί πως τ' ἄνθρωπον ἀσθενέα.

Vinum merum copiosiùs epotum hominem quadam imbecillitate afficit.

Οἶνος γὰρ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνας ἀναβάλλει, *sapientes ipsos ad amentiam impellit vinum* , bellè ait Stheneleus Poëta , Athenæo teste. *Per ebrietatem* , inquit Hipp. lib. de flatibus , *aucto derepente sanguine animi functiones , ejúsque intellectus concidunt.* Vide autem quas nugas proferant

qui aiunt Hippocratem, ebrietatem ſanitatis cauſa unâ vice in menſe conſulere. At ubinam ejuſmodi conſilium extat. Is certè nimiùm ſobrius & ſapiens, qui hoc unquam hominibus ſuaſerit.

XXXIV.

Ὑδαρὴς οἶνος καὶ ἄκρητος ὡσαύτως τὸ ἔθος ἐξαπίνης, ποθεὶς, ὁ μὲν πλάδον τε ἐν τῇ ἄνω κοιλίῃ ἐμποιέει, καὶ φύσας ἐς τὼ κάτω, ὁ δὲ παλμὸν φλεβῶν, καὶ καρηβαρίην καὶ δίψαν. De diæt. in acut.

Aquoſum vinum & meracum præter morem ſubitò epotum, illud quidem in ſuperiore ventre humiditatem redundantem, & in inferiore flatum inducet: iſtud verò arteriarum pulſationem, capitis gravitatem & ſitim.

Per vinum aquoſum debemus intelligere non ſolùm vinum ſuapte naturâ debile, cui multùm phlegmatis inſit, ſed etiam vinum multâ aquâ

dilutum. Id vel ex eo patet, quòd opponat illud meraco, & ab illo quidem humiditatem, ab iſto ſitim fieri pronunciet. Vinum itaque ſeu naturaliter aquoſum & valdè dilutum, ſi maximâ copiâ ſubitò bibatur, fibras ventriculi relaxabit; unde coctioni minùs aptus flatus producet, & cùm permixtus ſanguini cerebrum attinget, fiétque ope glandularum, quæ plurimæ latent in choroïdæis plexibus, ſeparatio aquoſæ partis, dubio procul humiditate plurimâ replebuntur ventriculi cerebri. Imò verò & cùm idem ſanguis ad corticalem appellat ſubſtantiam, fortè etiam medullam ſpinalem irrigabit ſuperflua humiditas. Vinum verò meracum cùm ſpiritibus turgeat, ζύμωσιν in ſanguine pariet, & ab ebulliente illo ſanguine arteriæ ſolito magis pulſabunt, & cerebrum comprimentes gravitatem capitis cauſabuntur, & ab exuperante vini calore frigidi & humidi appetitus ſive ſitis, orietur.

XXXV.

Τῶν δ' οἴνων οἱ μέλανες καὶ αὐστηροὶ ξηρότεροι καὶ ὑ διαχωρεῖν, οὔτε οὐρέον, οὔτε πλύνει. De diæt. l. 2.

Vina autem quod attinet nigra & auſtera ſicciora ſunt, neque alvum, urinam aut ſputum movent.

Nigra & auſtera vina plurimùm habent tartari & terræ, parùm verò ſpiritus & aquæ, ſaltem habitâ aliorum comparatione, unde non ita facilè permeant, neque ullam in ſanguine fermentationem excitant, & cùm humiditate non abundent, neque urinæ, neque ſputo, neque dejectionibus uberem materiam præbent, aut per has vias movent.

XXXVI.

Γλυκὺς οἶνος καὶ μελιεδὴς, ἄμφω κοιλιστικοὶ, καὶ διουρητικοὶ, καὶ φλεγμαλώδεες: οἱ δ' αὐστηροὶ ἐς ἰσχνὸ καὶ ξηρασίλιν ἐπιτήδειοι: οὐρητικοὶ δ' αὐστηροὶ παλαιοὶ λεπτοὶ καὶ λεπτοί. De Affect.

Vina dulcia & mel referentia, utraque vires reficiunt, & diuretica & pituitoſa ſunt: auſtera verò ad robur & ſiccitatem accommodata; diuretica verò ſunt auſtera vetuſta alba & tenuia.

Vina dulcia & quæ mel referunt ea ſunt, quæ minorem paſſa fuere fermentationem, ob id non potuere oleaginoſæ partes à ſalinis volatilibus evehi, ſícque repreſſis ſalino-ſpirituoſis partibus ac ſopitis, ſapor dulcis emicat à prædominante ſulphure procedens. Talia ſunt vina Hiſpanica, Frontigniaca, Malvatica, vel ſimilia, pro quibus conficiendis vel ſole vel igne priùs uvæ humiditas maximâ ex parte abſumitur: ita ut deinde humidi defectu ſufficiéter fermentari nequeant. Et cùm ſalia ſatis exaltari non potuerint, manent utcunque repreſſa & à ſulphureis partibus ligata. Hinc ſapor dulcis. Vina autem hæc reficiunt, quia parum aquæ, multùm ſulphuris continent:

diuretica ſanguinem agitando, pituitoſa quia caput obruunt.

XXXVII.

Οἱ ὃ λεῖοι γλυκέες μᾶλλον ὑρέον, καὶ διαχωρέουσι καὶ ὑγραίνουσι: οἱ ὀξέες ψύχουσιν, ἰσχναίνουσι καὶ ὑγραίνουσι. De diæt. l. 2.

Tenuia verò dulcia urinam magis & alvum movent, atque humectant. Acida refrigerant, extenuant & humectant.

In ſuperiori Aphoriſmo loquebatur Hippocrates de dulcibus ſed non tenuibus, hic verò de dulcibus ac ſimul tenuibus, quæ ſcilicet aquâ multâ abundent, ſed tamen defectu ſalis non multùm exaltati dulcedinem retinuere. Iſta igitur humectant & cùm ipſorum humiditas renes & inteſtina attingat, alvum movent & urinam. Acida vina ea ſunt in quibus maxima tartari ſoluti copia ſuppetit: etenim in vino tartarum unum non ſolubile, aliud verò ſolubile exiſtit. Refrigerant, quia ab acido bilis alcali infringitur. Extenuant, quia

acidum nutritioni ineptum, ut superiùs de acidis in genere diximus ad Aphor. 15. hujus sectionis.

XXXVIII.

De Affect. Ὁ οἶνος διαχεόμενος, καὶ ἀποψυχόμενος, καὶ διυθούμενος, λεπτότερος γίνεται καὶ ἀσθενέστερος.

Vinum diffusum & refrigeratum & percolatum, tenuius & imbecillius fit.

E diffuso vino spiritus facilè evolant, & hac jacturâ fit debilius, sicut & dum refrigeratur nive aut glacie. Nitrosæ enim aëris partes quæ glaciem & nivem occupant, per lagenæ poros sese in vinum insinuant. Nec aliter concipi potest refrigeratio hæc, cùm apud cordatos Physicos non admittatur ulla actio in distans. Hinc facile est concipere partes vini maximè activas, & quæ ἐνορμίσματα possiunt appellari, à nitrosis istis partibus quodammodo figi, ita ut deinde irritandis linguæ fibris, & agitandæ massæ sanguineæ, sicut antea,

antea, fiant impares. Adde quòd frigus linguæ ſenſum obtundat, ne ritè poſſit vini ſapor diſcerni. Percolatum tandem vinum debile fit, tum quia aëri exponitur, tum quia percolatione aliquid de partibus ſuis ſalinis amittit.

XXXIX.

Γλεῦκος φυσᾷ, καὶ ὑπάγει, καὶ ἐκκαθαίρει, ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ, ὅτως καὶ ὁ νέος οἶνος. De diæt. l. 2.

Muſtum flatum creat, & alvum movet, & turbationem in ventre, ſuo fervore excitat, ſicut & vinum recens.

Muſtum in ſe continet partes non fermentatas quidem, ſed fermentationis admodum capaces, & quæ ex ſe ipſis in motum fermentativum agi queunt. Quòd ſi poſſint muſti partes ſine ullo externo auxilio fermentationem inire, quātò magis calore aliquo adjutæ, perinde ac ſpiritus tartari & vitrioli qui ſimul mixti ebulliunt, ſed fortiùs & citiùs ſi caléti arenæ cōmittantur. Calore itaque naturali adjutæ

muſti partes in ſtomacho & inteſtinis facilè fermenteſcent, unde flatus creabuntur, ſicuti ex humido quocunque vaporem ſeu flatum elevat ignis. Hinc à fervore & præcipitatione fermentationem ſequente alvus movebitur, & turbatio, tormináque inferentur. Eâdem & facultate pollet vinum recens, quod nondum omnimodâ inſenſilíque fermentatione defunctum eſt.

XL.

De diæt. in acut. Κιρρῷ οἴνῳ καὶ μέλανι αὐστηρῷ ἐν τῇσιν ὀξείῃσι ἐς τάδε ἂν χρήσαιο, εἰ καρηβαρίη μὴ ἐνείη, μηδὲ φρενῶν ἄψις, μηδὲ τὸ πλεῦμον κωλύοιτο, μηδὲ τὸ ἔρον ἴσχοιτο.

Fulvo vino & nigro auſtero in acutis uti poteris, ſi capitis gravitas non adſit, nec mentis perculſio, nec ſputum aut urina ſupprimatur.

Vinum ægris concedebant antiqui etiam in morbis acutis: at ſapienter Hippocrates has cautiones obſerva-

ri vult, ut illius uſus permittatur: ubi ſcilicèt capitis gravitas non adeſt, aut imminens delirium: etenim vinum per ſe eſt καρηβαρικὸν, & ſpiritu ſuo aptum accelerando delirio. Stypticum etiam eſt auſterum vinum, ideóque ſputi & urinæ ſuppreſſioni noxium.

XLI.

Τὰ μὲν ἄνω πάντα καὶ τὰ κύστιν ἧσσον βλάπτει, ὡς ὑδαρέστερος ἦ: τὰ δὲ κατ' ἔντερον καὶ μᾶλλον ὀνήσει, ὡς ἀκρατέστερος ἦ. Ibid.

Si dilutius fuerit vinum ſuperiores omnes partes & quæ circa veſicam ſunt minùs lædit: meracius verò iis quæ circa inteſtina ſunt magis prodeſt.

Vinum meracius inteſtinis magis convenit, inquit Galenus, adſtrictionis ratione, quâ eorum fibræ roborantur: at eadem de cauſa meracum caput & thoracem offendit, & veſicam, eo quòd excretiones cohibeat, & partibus ſuis ſpirituoſis offendat.

XLII.

De diæt. l. 2. Ὄξος ψυχρὸν· ἵστησι δὲ μᾶλλον ἢ διαχωρεῖ.

Acetum refrigerat, & alvum potiùs ſiſtit quàm movet.

Heraclides Tarentinus, inquit Athenæus lib. 2. *ſcribit acetum foris adhibitum externas partes, intrò ſumptum alvum aſtringere.*

XLIII.

Ibid. Βότρυες θερμοὶ, καὶ ὑγροὶ καὶ διαχωρητικοὶ, μάλιστα οἱ λεύκοι.

Uvæ calidæ & humidæ ſunt, alvúmque laxant præcipuè albæ.

Uvæ ſuccum ſulphureum & vinoſum continent, ideóque calidæ ſunt: at humidæ quia ſuccus iſte non fermentatus multo phlegmate adhuc abundat, præſertim recentes quas proculdubio intelligit. *Recentes uvæ*, inquit Plinius, *ſtomachum & ſpiri-*

tum inflant, alvúmque turbant, præcipuè albæ quæ dulci, non auſtero ſtypticóve ſucco turgent.

XLIV.

Τυρὸς, καὶ σήσαμα, καὶ σταφὶς, κομιστικὰ, καὶ φλεγματώδεα. Ibid.

Caſeus, & ſeſama, & uvæ paſſæ, nutritiva & pituitoſa.

Caſeus pars lactis craſſior & terreſtrior difficilis quidem coctionis, at ſolidius alimentum quódque non facilè diſſipatur robuſtis hominibus præbet. Unde vivaces ſunt ruſtici montium incolæ qui lacte & caſeo ferè veſcuntur. Seſamis olim utebantur in ciborum delitiis, quæ nunc fere neglecta. Nutritiva ſunt & pituitoſa, ut cætera legumina. Uvæ paſſæ ſucco vinoſo inſpiſſato prægnant, ideóque & nutritiva & ob ſucci abundantiam, ſi nimiæ comedantur, cruditatibus pituitáque ſtomachum & inteſtina gravabunt.

XLV.

Ibid. Αἱ ἀμυγδάλαι καυσώδεες δι' τὸ λιπαρὸν, τρόφιμοι δι' τὰ σαρκώδες.

Amygdalæ æſtuoſæ quia pingues, nutriunt verò quia carnoſæ.

Amygdalæ pingui oleo turgent, quod facilè æſtum & inflammationem concipit. Attamen nutriunt, quia ſolidum alimentum præbet earum pars carnoſa, & dulcis. Amaræ enim eſui ineptæ, ſed vim attenuandi & detergendi habent, imò & ebrietatem arcendi, quia ex Athenæo reſiccant, humiditatem depaſcunt, nec ſinunt venas impleri, quarum diſtenſione & perturbatione temulentia contrahitur.

XLVI.

Ibid. Σῦκον χλωρὸν ὑγραίνει, καὶ διαχωρεῖ, καὶ θερμαίνει: τὰ δὲ ὠφῶτα τῶν σύκων κάκιστα, ὅτι εἰσὶν ὀπωδέστατα.

Ficus viridis humectat, alvum laxat & calefacit. Primæ

autem ficus vitioſiſſimæ, quia lacte plenæ.

Ficus viridis multo abundat ſucco indigeſto, qui in ſtomacho humiditatem parit. Alvum laxat, quia ſuccus iſte acris eſt & veſicatorius antequam matureſcat, inde ab irritatione, alvi procuratur libertas, & aliquando purgatio nimia. Calefacit ſive ob illam irritationem, ſive ob fermentationem nimiam quam in ventriculo excitat. Primæ autem ficus vitioſiſſimæ, quia lacte illo corroſivo plenæ ſunt. Imò maturæ de priori natura adhuc retinent. Dioſcorides cap. 145. *Ficus maturæ recentes ſtomachum ladunt, alvum ſolvunt.*

XLVII.

Στρύχνος ψύχει καὶ ἐξονειρώσσειν ἐᾷ. Ibid.

Solanum refrigerat, & in ſomnis veneris ludibria prohibet.

Solanum, inquit Plinius, *Græci Struchnon vocant, ut tradit Cornelius Celſus. Huic vis reprimendi, refri-*

gerandique. Nec mirum, quæcunque enim hypnotica ſunt, ſanguinis motum & calorem moderantur.

XLVIII.

Ibid. Ὁ βρόμος ὑγραίνει καὶ ψύχει ἐσθιόμενος, καὶ ῥόφημα γλυόμενος.

Avena in cibo & ſorbitione ſumpta humectat & refrigerat.

Satis confirmatur hic Aphoriſmus frequenti hominum imò & equorum experientiâ. Avena enim cùm tenuiſſimi leviſſimíque ſucci concretio ſit, molli pelle cooperta, non mirum ſi facillimè iterum in ventriculo atteratur & diſſolvatur, indéque uberrimam chyli copiam ſuppediter, eámque benignam, nullíſque donatam aculeis; ex cujus permixtione frænantur ac implicantur partes ſpirituoſæ, ipſarúmque mirum in modum retunditur impetus, unde refrigerium & humectatio accedunt.

XLIX.

Ibid. Κεφαλὴ φύσει μὲν ψυχρὸν καὶ ξηρὸν ἐ-

ἔνι δὲ καὶ καθαρτικόντι ἀπὸ τῆς χυλοῦ τῆς ἀχύρου.

Hordeum naturâ quidem frigidum & ſiccum : ineſt & quiddam quod purget ex palearum ſucco.

Hordei ſubſtantia non admodum tenuis eſt , unde hordeaceus panis ventriculum gravat , ipſúmque hordeum lentum gignit ſuccum : & in hoc frigidum dici poteſt, quòd ipſius viſciditatis & lentoris ope ſanguinis utcunque ſiſtitur mòtus , unde refrigerium. Siccitas verò ipſius petitur à palearum duritie digeſtioni minimè obtemperantium , imò cùm rigidæ & minimè contritæ ad inteſtina perveniant , hinc fit , potiùs quàm ab ipſarum ſucco , ut vellicatis & punctis inteſtinis citiùs quàm more ſolito moveantur deorſum, hínque liberior alvus.

L.

Σκόροδον θερμὸν, καὶ διαχωρέει (ὑρέει); καὶ τοῖσιν ὀφθάλμοισιν οὐκ ἀγαθόν. Ibid.

Allium calidum, alvum & urinam movet, & oculis minimè bonum.

lib. 20. cap. 9. Plinius enumeratis secundùm veteres allij viribus, ejus etiam subjungit incommoda: *Vitia*, inquit, *ejus sunt, quòd oculos hebetat, inflationes facit, stomachum ladit copiosius sumptum, sitimque gignit.*

LI.

Epid. 6. Ὀφθαλμοῖσι πονηρὸν φακὴ, καὶ ἡ γλυκεῖα ὀπώρη, καὶ λάχανα.

Oculis nocent lens, poma dulcia, & olera.

Hujus mentis est Dioscorides: cùm inquit, *lens frequenter in cibo sumpta oculorum aciem obtundit, agrè concoquitur, stomachum ladit, eumque & intestina inflat, somnia tumultuosa excitat, éstque capiti, nervis & pulmoni inutilis.* Ejusdem sortis sunt poma dulcia & olera: cùm enim facilè bilescant & corrumpantur in ventriculo, inde fit ut

frequenti vertigine caput exagitetur, & oculi priſtino ſplendore fraudentur.

LII.

Ὀσπεια πάντα φυσώδεα, καὶ ὠμὰ καὶ ἑφθὰ, καὶ περφυρμένα, καὶ βεβρεγμένα, καὶ χλωρά. De diæt. in acut.

Legumina omnia flatuoſa ſunt, & cruda, & elixa, & frixa, & macerata, & viridia.

Quia ſubſtantiam obtinent viſcidam & dyſpepton. *His autem*, addit, *utendum non eſt, niſi cum aliis cibariis, nempe pane qui ex tritico fit, aliiſve.*

LIII.

Μέλι θερμὸν καὶ ξηρὸν ἁπλῶς σὺν ὕδατι ἢ ὑγραίνει & διαχωρέει τοῖσι χολώδεσι; τοῖσι δὲ φλεγματώδεσιν ἵστησι. De diæt. l. 2.

Mel calidum & ſiccum eſt, ubi ſincerum aſſumitur: cum aqua verò humectat, & biliоſis alvum movet; pituitoſis autem ſiſtit.

Cùm mel sit aggregatum ex rore cæleſti ſive manna benigno, & partibus plantarum volatilibus ab apibus collectum, nec non ab ipſis quodammodo digeſtum, non mirum ſi calidum & ſiccum ſit, ſi præſertim ſincerum aſſumatur. Hoc enim maximè ex ipſius deſtillatione confirmatur, cùm poſt phlegma ipſius eliciuntur ſpiritus primò acidus, dein acutior, tandem oleum nigrum cauſticum & ideò oſſium cariei maximè proficuum. Mel autem cum aqua permixtum, hydromel videlicet, bilioſis alvum emollit, levitérque vellicando expurgat, pituitoſis verò ſiſtit, cùm viribus non valeat ad humorum viſcidorum incidendam emungendámque copiam, imò potiùs eos adaugeat.

LIV.

Ibid. Μελίκρητον τὸ ἐπίπαν μὲν τοῖσι πικροχόλοισι καὶ μεγαλοσπλάγχνοισιν ἧσσον ἐπιτήδειον, ἢ τοῖσιν ἐς τοιούτοισιν ὄγκοι.

Hydromel iis qui bile amara abundant, & quibus viſcera intumeſcunt

intumeſcant, minùs quàm non talibus eſt idoneum.

Aquam, inquit Plinius, *ad tertias partes decoquunt & tertiam mellis veteris adjiciunt, deinde quadraginta diebus canis ortu in ſole habent. Alij diffuſum ita decima die obturant. Hoc vocatur hydromeli, & vetuſtate ſaporem vini aſſequitur.* Hunc autem potum picrocholis minùs convenire ait Hippocr. eo quòd facilè bileſcat, quemadmodum & cætera dulcia, ſaccharatáque; minùs etiam μεγαλοσπλάγχνοις, id eſt qui tumore laborant viſcerum, quòd citò pertranſire non poſſit, ibíque retentus inflammationem & tumorem augeat.

L V.

Τὸ μελίκρηλον πνεύμονα & μαλθακτικόν ἐστι, καὶ πλευρὰς ἀναγωγὸν μετρίως, καὶ βηχὸς παρηγορικὸν καὶ ὑρητικόν. Ibid.

Hydromel pulmonem emollit & ſputum mediocriter educit, tuſsímque ſedat, & diureticum eſt.

Ex mellis anatome ſuperiùs traditâ, mox cuique patet, cur pulmones poſt ipſius uſum, quamvis multâ aquâ irrorati, ſputum mediocriter rejiciant; cùm enim ipſorum bronchia parte mellis acidâ blandè titillentur, hinc levis ſuccuſſio, contractio & expectoratio fiunt, tuſsíſque dein ſedatur, expurgatis ſcilicet pulmonum viis. Imò & diureticum ipſum experimur, ut liquores omnes in quibus deliteſcunt partes acidæ ſub quopiam dulci, ſicut ſpiritus ſalis & ſpiritus nitri dulcificati qui hanc veritatem ſat luculenter confirmant.

LVI.

Ibid. Ὀξύμελι πτυάλου ἀναγωγὸν καὶ εὔπνοον ἐστιν.

Oxymel ſputum educit, & facilem reddit reſpirationem.

Quin & acetum melle temperabatur: adeò intentatum nihil vitæ fuit: oxymeli hoc vocarunt, mellis decem libris, aceti veteris heminis quinque, ſalis marini librâ, aquæ pluviæ ſex-

tariis quinque, ſuffervefactis decies, non elutriatis, atque ita inveteratis. Plin. lib. 14. cap. 17. Inutile in hac compoſitione ſal marinum, nec ab Hippocrate aut Galeno, uti neque à recentioribus noſtris additum Pharmacographis.

LVII.

Ἐπὶ δὲ γάλακτι· τρόφιμοι μὲν πάντες, πλὴν ἀλλὰ τὸ μὲν οἰὸν ἵστησι· τὸ δὲ αἰγιον μᾶλλον διαχωρέει· τὸ βόειον ἧσσον· τὸ δὲ ἵππειον, καὶ τὸ ὄνειον μᾶλλον διαχωρέει. De diæt. l. 2.

Lac quod attinet : omne quidem nutrit, verumtamen ovillum alvum ſiſtit ; caprinum verò magis alvum laxat ; vaccinum minùs : equinum & aſininum alvum magis movet.

Bubulum, inquit Plinius, *caſeo fertilius quàm caprinum* : ideóque non mirum ſi caprinum alvum magis laxet, ob ſuam tenuitatem : at magis adhuc liberam alvum ſervant equinum olim ſatis in uſu, & aſi-

ninum, quæ tenuiſſima ſunt: ita ut fallatur Plinius, qui aſinæ lac craſſiſſimum eſſe dicit. Eſt enim tenue, & è regula generali ſuprà ab Hippocr. traditâ, eximendum, qui aſſerit carnes tenues eſſe eorum animalium quorum lac & ſanguis ſunt tenuia: craſſæ enim potiùs & duræ ſunt aſini & equi carnes Tartarorum deliciæ, niſi tenues pro macilentis dicere voluerit.

LVIII.

Ibid. Τὰ γλυκέα, καὶ τὰ δριμέα, καὶ τὰ ἁλυκὰ, καὶ τὰ πικρὰ, καὶ τὰ αὐστηρὰ, καὶ σαρκώδεα θερμαίνειν πέφυκε, καὶ ὅσα ξηρά ἐστι, καὶ ὅσα ὑγρά.

Dulcia, acria, ſalſa, amara, auſtera & carnoſa, calefacere ſolent, tum quæ ſicca, tum quæ humida ſunt.

Satis patet hæc propoſitio, præſertim iis qui tum vegetabilium, tum animalium analyſi phyſicæ parumper ſtuduere: ipſius enim ope ex dulcibus, acribus, ſalſis, &c. maxima

ſalis fixi quantitas extrahitur; unde non mirum ſi in ventriculum ingeſta partibus hiſce ſeſe explicantibus fermentorum ope, caloris dein eroſionis ſenſus percipiatur.

LIX.

Τὰ ἐν τοῖσιν ἐωνοπεἰμμασιν ὄψα σηδαζόμενα, καυσώδεα ἐστὶ καὶ ὑγρὰ, ὅτι λιπῳδὰ, καὶ πυρώδεα, καὶ θερμὰ, καὶ ἀνομοίας τὰς δυνάμιας ἀλλήλοισιν ἔχοντα, ἐν τῷ αὐτέῳ ἴζει. Ibid.

Opſonia ex intritis parata æſtuoſa & humida, quia pinguia, ignea & calida, & inæquales vires ſortita, in eodem inſunt.

Opſonia omnia ex pluribus eduliis diverſæ ſpeciei aggregata volatilibus, aculeatis & ſulphureis partibus imprægnantur, unde ventriculi fermentum adeò infringunt, ut cætera alimenta diſſolvere non valeat: nihil enim magis acido-volatili quo donatur ventriculus, opponitur, quàm volatile acre ſulphureis

partibus immixtum : quo deinde alimenta æstuosa & empyreuma redolentia fiunt ; stomacho molesta.

LX.

Mochl. Ὀλιγοσιτέειν ὡς μάλιστα, καὶ ὕδωρ ξυμφέρει πᾶσι τοῖς ἕλκεσι : μᾶλλον δὲ τοῖσι νεωτέροισι παλαιοτέρων, καὶ ὅτι ἄλλο φλεγμαίνει ἕλκος, ἢ μέλλει.

Paucus cibus & aquæ potus omnibus vlceribus maximè confert, magis tamen recentibus quàm vetustis ; nec non ubi inflammatio adest aut impendet.

Ratio est, quia ex multo potu & copiosiore cibo maximè fervent turgéntque humores, præcipuè si pro potu liquores fermentescibiles, ut vinum aut cereviſia, usurpentur. Hinc vasa attolluntur & distenduntur, hinc copiosior suppuratio, quæ tamen ulceris curationi quasi ex diametro opposita esse videntur. Neque enim approximantur soluti continui labia ad cicatricem procurandam, nisi priùs detersa, exsiccata, probéque inanita sint.

LXI.

Παρὰ πάσας τὰς τῶν ἄρθρων ἐμβολὰς δεῖ ἰσχναίνειν καὶ λιμαγχονέειν ἄχρι ἑβδόμης. De Artic.

In omni articulorum repositione victu tenui & inediâ ad septimum usque diem utendum.

Ut scilicet vitetur febris & inflammatio ab agitatione & doloribus impendentes, donec metus omnis exularit, circiter circa septimum diem. Particularis autem hæc diætæ lex, generali effato sequentis Aphorismi confirmatur.

LXII.

Αἱ ἀσθενέες δίαιτ, ψυχραὶ· αἱ δ' ἰσχυραὶ, θερμαί. Epid. 6. sect. 4.

Imbecilla victus ratio frigida, valida verò calida.

Imbecilla victus ratio, sive tenuis diæta refrigerat, quia minorem pla-

cidiorémque fermentationem cum ſanguine minor chylus parit, fortiorem major: hæc enim utriuſque hujus humoris commixtio fermentationis & caloris cauſa eſt, exinde volatiliſato ſanguine & fabricatis ſpiritibus.

LXIII.

Præcep. Τῷ κάμνοντι χρονίῳ ἐπιθυμίαν ἀνίεσθαι καὶ ξυγχωρεῖν ἐν χρονίῃ νόσῳ.

Ægri diuturnam appetentiam erigit indulgentia, quæ interdum morbum fovet.

Si quis enim, inquit Hippocr. *caco in omnibus quæ expetit morem gerat, is velut res horrenda vitari debet, & gratia vitanda per quam unitas perit.*

LXIV.

Epid. 6. Αἱ τοῖσι κάμνουσι χάριτες: αἱ μὲν μεγάλα βλάπτει, ἢν μὴ εὐανάλωτα.

Ægrotis gratificandum, in iis quæ non magnam noxam

afferunt, aut quorum ſaltem noxa facilè reſarciri queat.

† *Cibus & potus paulò pejor, ſuavior tamen, melioribus quidem, ſed minùs gratis, anteponendus*, inquit Hippocrates in antiq. Aphor. quia gratum alimentum avidiùs amplectitur ventriculus, unde melior digeſtio, minórque excrementi copia fit. Propter eandem rationem ægris aliquando gratificandum eſt, ut poſtea in aliis rebus ſponte obediant. Sed tamen caveat Medicus, ne cibos concedat ex quibus magna emergere poſſit noxa, aut quorum noxa non facilè reſarciri queat: alioquin morbum potiùs augebit quàm curabit.

LXV.

Ἀγρυπνίη ἐν μὲ σίλοισι βλάπλει, ὃκ ἐῶσα τὸ σιτίον πήκεδαι: ἀσίτοισι δ' ἰσχναίνει μὲ, βλάπλει δ' ἧσσον. De diæt. in acut.

Vigilia *nimia* poſt cibos noxia, cùm cibum colliqueſcere non ſinat: jejunos autem exſenuat, minùs autem lædit.

Vigilia nimia humiditatem abſumit & corpus exſiccat, unde poſt cibos noxia eſſe debet, cùm alimentum diluente humiditate privatum non probè coqui & colliqueſcere poſſit. Quòd quidem de nimia vigilia, non de moderata intelligat, teſtatur alia ſententia in eodem libro prolata: ἀγρυπνίη ἰσχυρὴ πόμαλα καὶ σιτία ὠμὰ καὶ ἀπεπτότερα ποιέει: *Vehemens vigilia potus cibóſque tum crudos, tum incoctiores reddit.* Jejunos autem extenuat quia diſſipat ſpiritus & nervei ſucci partem: minùs tamen eos lædit quàm pranſos, eo quòd in iſtis chyli corruptio non ſit metuenda, cùm nullus tunc adſit in ſtomacho chylus.

LXVI.

De diæt. l. 2. Ῥᾳθυμίη ὑγραίνει καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει, πόνος δὲ ξηραίνει καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει.

Otium humectat & corpus debilitat; labor verò ſiccat & corpus roborat.

Hujus ſententiæ ratio per ſe patet.

Otium humectat, quia humores in corpore quieſcentes minimè diſſipantur, inde nervorum laxitas ſicuti ab humiditate chordarum relaxatio; & à nervorum laxitate, ſpiritúumque torpore totius corporis debilitas. Labor è contrà ſiccat, quia moto corpore, moventur & diſſipantur humores, inde nervorum tenſio & ſpirituum acumen, ac conſequenter corporis robur.

LXVII.

Ἐνθέρμῳ φύσει ψύξις, ποτὸν ὕδωρ, ἐλινύειν. Epid. 6. ſect. 4.

Calidæ naturæ refrigeratio, aquæ potus & quies.

Iſtud explicatione non eget: quis enim neſcit aquam quæ per ſe frigida eſt, refrigerare; quietem verò idem præſtare, quia omnis calor à motu?

LXVIII.

Ὁ ὑπὸ δείπνου περίπαλος ξηραίνει, ἢ ὑγραίνει τὸ σῶμα, καὶ τὴν γαστέρα. Ibid.

Deambulationes poſt paſtum, alvum, corpus, & ventriculum exſiccant.

Deambulationes à paſtu, ſicuti ſuperiùs de labore diximus, exſiccant, quia movent & diſſipant humores: unde commendantur ſi mediocres ſint: *poſt cœnam ſtabis aut paſſus mille meabis*, inquit Schola Salernitana. Ut enim chylus nimis exſiccatus pravus, ita nimis humidus, cruditatum & ſeroſæ colluviei parens.

LXIX.

Ibid. Οἱ ὄρθριοι περίπατοι ἰσχναίνουσι, καὶ τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν κουφότερα, καὶ εὐήνοα παρασκευάζουσι καὶ τὴν κοιλίην λύουσι.

Deambulationes matutinæ extenuant, & quæ circa caput ſunt, levia, agilia & prompta efficiunt, alvúmque ſolvunt.

Extenuant deambulationes matutinæ, ſeu potiùs corpus in majorem molem

molem excreſcere non ſinunt, quia ſuperfluos humores agitant, ad circumferentiam corporis pellunt & diſſipant. Inde levatur caput, functiones cerebri ſuperfluitatibus non obruti meliùs perficiuntur, totúmque corpus agilius redditur. Alvus tándem ſolvitur, procurato à muſculorum motu, fæcum, quæ per ſe graves ſunt, prolapſu.

LXX.

Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν. Epid. 6.

Labores præcedere cibos debent.

Appetitus præcipuum eſt ciborum condimentum: abſque eo languet ſtomachus & functionem ſuam malè obit. At labores, ſive exercitationes moderatæ appetitum excuunt, tum quia ſuperfluos humores, crudóſve ventriculo innatantes diſſipant, tum quia neceſſariam deperditæ ſubſtantiæ reparationem reddunt.

LXXI.

Ibid. Πόνος τοῖσιν ἄρθροισι καὶ σαρκὶ, σῖτος· ὕπνος σπλάγχνοισι.

Labor articulis & carnibus cibus est : somnus viscеribus.

Labor sive exercitatio articulis musculisque veluti cibus est ; augentur enim & roborantur exercitationibus , non secus ac cibis. Somnus autem viscеribus etiam veluti cibus est , quia calore intercedente , alimenti coctio melius fit, tuncque viscera nutriuntur. Galen. in hunc locum.

LXXII.

Ibid. Ἄσκησις ὑγιὴς , ἀκορίη τροφῆς , ἀοκνίη πόνων.

Exercitatio sana, sobrietas in victu , indefessus labor.

Synesius ait ab Hippocrate sobrietatem *sanitatis matrem* vocari : unde quidam conjectant id ab eo dictum , in alio qui ad nos non per-

venerit libro; ſed quidni ex hoc loco fuerit hanc ſententiam mutuatus, etſi non iiſdem vocibus utatur?

LXXIII.

Λαγνεία ἰσχναίνει, καὶ ὑγραίνει, καὶ θερμαίνει. De diæt. in acut.

Venus extenuat, humectat & calefacit.

Venus extenuat diſſipando ſpiritus, lympham, ſuccúmque nervoſum; humectat cruditates generando ac humores colliquando, unde non eſt vera corporis humectatio, ſed potiùs ſuperfluitatum & humiditatum collectio, privatis interim partibus benigno rore, & quidem ſi non moderata ſit venus. Calefacit tandem quia ſanguinem & ſpiritus agitat.

LXXIV.

Λαγνείη τὴ ἀπὸ φλέγματος νόσων, ὠφέλιμον. Epid. 6. ſect. 5.

Veneris uſus morbis à pituita confert.

Non cunctis ex pituita laborantibus, ſed quibus vires firmæ ſunt, veneris uſus prodeſt: imbecilli námque ab ipſa in extremam debilitatem redacti magnoperè læduntur. At qui viribus pollent, non diſſolvuntur, ſed contrà juvantur, veneris uſu pituitæ copiam reſiccante. Galen. in hunc locum.

LXXV.

De diæt. in acut. Τὸ λουτρὸν τῆς ὀδυνῶν παρηγορικόν ἐστι, καὶ πυέλου πεπαντικὸν, καὶ ἀναλωτὸν, καὶ εὔπνοον καὶ ἄκοπον: μαλθακτικὸν γὰρ τῆς ἄρθρων, καὶ τοῦ δέρματος, καὶ ὑπνικὸν, καὶ καρηβαρίαν λύει.

Balneum dolores mitigat; ſputum maturat, educítque, ſpirationem facilem reddit & laſſitudines tollit, cùm articulos & cutim emolliat, urinas provocat & capitis gravitatem tollit.

Balneum dolores mitigat, quia cutim relaxat, poros aperit, & retentos acres humores doloris cauſas tranſpirare facit; ſputum maturat

ſuo tepore, & faciliorem reddit ſpirationem, tum thoracicas partes lubrificando, tum ſputum attenuando & educendo. Laſſitudines tollit articulorum tendines molliendo, ac corpus excalefactum & exſiccatum temperando ac humectando. Urinam provocat ſive partes tenſas tepore relaxando, ut in nephritide affectis contingit; ſive ſi frigidum uſurpetur, frigiditate, muſculorum imi ventris & veſicæ contractionem procurante: ita ut & homines & alia animalia ſubitus aquæ ingreſſus ad micturitionem excitet.

LXXVI.

Τὸ ἁλμυρὸν λετρὸν θερμαίνει καὶ ξηραίνει· τὰ δὲ θερμὰ λετρὰ νῆστιν μὲν ἰσχναίνει καὶ ψύχει, βεβρωκότα δὲ θερμαίνει καὶ ὑγραίνει, ψυχρὰ δὲ τόνωσίν. Ibid.

Salſum balneum calefacit & ſiccat: calida autem balnea jejunum quidem extenuant & refrigerant, eum qui comedit

calefaciunt & humectant: frigida verò è contra.

Sal commune ſive marinum calefacit & ſiccat, idémque proinde efficit ſalſum balneum. Sic balneum in aqua marina præſcribitur morbis in quibus opus eſt calefacere & ſiccare, verbi gratiâ in hydrope, in reliquiis arthritidis diſcutiendis, in hydrophobia. Calore enim hujus balnei evocantur ad peripheriam humores, ſiccitate abſorbentur. In genere autem balnea calida jejuno exiſtente corpore adminiſtrata extenuant, quia ſudorem excitant, ſimúlque cum pravis humoribus, aliquid lymphæ benignæ vel ſucci nervoſi nutritioni dicati ſecum rapiunt, & refrigerant per accidens ſpiritibus à ſudore diſſipatis: quod iis qui comederunt non accidit, cùm à cibis novi ſubminiſtrentur ſpiritus: humectant verò quia apertis à calore poris aliquid humiditatis aquæ intus penetrat, ut inde non ſolùm cutis, ſed & interiora utcunque emolliantur. Frigida verò balnea contrario-

rum ratione contrarios effectus producere debent.

LXXVII.

Ἥκιστα δὲ λούειν χρὴ τοὺς οἷσιν ἡ κοιλίη ὑγροτέρη, ἢ ἐστήκῃ, οὐδὲ τοὺς γεγυιωμένους, ἢ ἀσωδέας, ἢ ἐμετικοὺς, ἢ ἐπανερυγμένους χολώδεις, ἢ ἐκ ῥινῶν αἱμορραγέοντας. Ibid.

Minimè autem lavare oportet eos qui alvum nimis fluidam aut conſtipatam habent, neque eos qui viribus ſunt exolutis, nec ſtomachi faſtidio laborantes, nec vomiturientes, nec bilioſum eructantes, nec eos quibus ex naribus fluit ſanguis.

Balneum nonnihil debilitat, ideóque non convenit iis qui alvum fluidam habentes jam debiles facti ſunt, nec iis qui viribus ex aliqua alia cauſa ſunt exolutis. Balneum inſuper ſaltem tepidum aut calidum quo utebantur ſæpe veteres, ſudorem provocat, atque ideo iis qui alvum

nimis conſtipatam habent minimè convenit, cùm ſudor & major quæcunque tranſpiratio alvum ſiſtat, ut ſuprà indicabat Hippocr. *Cutis raritas alvi conſtipationem comitem habet.* Nauſeabundis, vomiturientibus aut bilioſum eructantibus minùs etiam idoneum eſt balneum, eo quòd humores fluidiores reddendo & tepore vias lubrificando vomitum potiùs provocet, unde antiqui eos quibus vomitum excitare volebant balneo præparabant. Idem de iis quibus per nares effluit ſanguis, dicendum: balneum quippe neque frigidum neque calidum ipſos juvat. Frigidum quidem poros conſtipando vaporoſas & calidas ſanguinis partes retinet quæ hæmorrhagiam augebunt. Calidum colliquat & fluidiorem ſanguinem efficit, unde & ejus effluxus augebitur.

LXXVIII.

Epid. 6. Ὀξυθυμίη ἀναστᾷ καρδίῃ καὶ πνεύμονα ἐς ἑωυτὰ, καὶ ἐς κεφαλὴν τὰ θερμὰ καὶ τὸ ὑγρόν: ἡ δὲ εὐθυμίη ἀφίει καρδίην.

Ira præceps cor & pulmones in ſeſe contrahit ; & ad caput calorem & humorem attrahit. Animi autem tranquillitas cor relaxat.

Videntur hæc ſibi invicem repugnare contractio cordis & pulmonis, & attractio caloris ad caput: qui tamẽ iræ naturam noverit apprimè hæc vera eſſe putabit. Quicunque enim iraſcitur duobus motibus contrariis percellitur, revocatione ſcilicet ſpirituum ad centrum, & eorundem ad peripheriam expanſione: nec mirum, quoniam ira eſt affectus mixtus ex dolore & audacia : neque enim iraſcimur, niſi quando de illata dolemus injuria, & ipſam ulciſci cupimus; hinc pueri, mulieres, & infirmi quoniam faciliùs & leviori de cauſa dolent ſæpius iraſcuntur, ſed quia audaces non ſunt, verbis vel lachrymis expletur ipſorum ira. Qui forti ſunt animo, quoniam non ita leviter dolent, frequentem minùs ſed timendam magis iram habent. Hic eſt iræ typus in qua dum pars ſpi-

rituum animalium ratione doloris intrò recurrit, cor & pulmones in seſe contrahuntur, & dum pars altera propter audaciam extrà propellitur, genæ quæ primò palluerant rubent, calet caput, & turget sanguine. Dum verò rapidis istis motibus immunes spiritus animales placido amne decurrunt, tunc anima fit tranquilla, & cor placidè movetur, neque aliter torrentem spirituum animalium afficiunt passionum æstus, quàm flumina venti.

LXXIX.

Ibid. Ἐν τοῖσι πνευμῶσι ἐργάσθαι βοῆς, ὀξυθυμίης.

Difficultate spirandi laborantes, clamore & iracundiâ abstinere oportet.

Quæcunque pars ægrotat otio indiget & quiete: motu enim plurimus in eam decumbit humor, quo deinde premitur, cùm ipsum nec digerere nec expellere valeat. At in clamore vehementer movetur pulmo,

in ira commovetur ſanguis ultra modum. Ne itaque frangatur pulmonum tonus jam debilis, néve vas aliquod rumpatur, vel ἀθρόως in pulmone depluat humor, irâ & clamore abſtineant, quicunque non facilè ſpirant, aſthmatici, vel quibus à natura pulmo debilis eſt.

LXXX.

Ὅσα ὕπνον ποιέει, ἀτρεμίλω τῷ αἵματι παρέχει. De Affect.

Quæ ſomnum conciliant, ea ſanguini quietem procurant.

Ex recto naturæ inſtituto ſomnus & vigilia tanquam Caſtor & Pollux, ſecundùm juſtos regnandi limites vices ſuas alternare, atque alter invicem alteri locum cedere debet. Vigilantibus enim nobis & circa varia ſenſuum objecta occupatis, multi diſſipantur ſpiritus, qui in ſomno reparantur, quoniam per ſomnum ſoli ſpiritus cerebelli incolæ functionibus naturalibus deſtinati abſorbentur, feriantur verò ſpiritus functio-

nibus apti animalibus. Fit itaque ſomnus quando ad ſenſuum organa per nervos non ampliùs influunt ſpiritus animales, ſeu quòd ſint omnino diſſipati, ſeu quòd vapore aliquo benigno & mediocriter craſſo oppleantur nervorum canales. At ubi naturaliter non obrepit ſomnus, ipſum conciliare ſolemus medicamentis hypnoticis, ut ſyrupo de nymphæa, de papavere albo & opio. Quæ quidem id agunt, non primâ aliquâ qualitate manifeſtâ, ut calore, frigore, &c. Neque occultâ ignorantiæ velo, ſed potiùs animales ſpiritus deſtruendo aut figendo. Cùm enim iſti ex ſale & ſpiritu volatili conſtent, hypnotica verò ex ſale fixo cum ſulphure combinato & materiâ terreſtri, profectò facile eſt concipere hanc craſſam ac ſulphuream ſubſtantiam, ſubtili animalium ſpirituum texturæ adverſari. Quoniam verò ſanguinis motus inſolitus ab agitatione nimia ſpirituum animalium & fibrarum vaſalium contractione maximè dependeat, opiata & hypnotica, dum ſuo lentore

obtundunt

obtundunt imò extinguunt ſpiritus animales, quies ſanguini accedit. Hinc concludenda narcoticorum utilitas pluribus in morbis in quibus ſpiritus inordinatè moventur, aut nervi irritantur; veluti in convulſionibus, hæmorrhagiis, deliriis, dyſenteriis, motibúſque hyſtericis.

LXXXI.

Ἠέρος αἰφνιδίη ταραχὴ φυλακτέη. Epid. 6.

Aëris repentina turbatio vitanda.

Hujus axiomatis *αἰτιολογία* optimè depromi poteſt ex ipſomet Hippocrate Aphor. antiq. 52. ſect. 2. ubi dicit omne nimium naturæ inimicum, paulatim verò quod fit tutum eſt, præſertim ſi quis ab uno ad aliud tranſierit. Et revera repentini motus omnes naturæ hoſtes ſunt. A ſubitis enim illis motibus tota perturbatur animalis œconomia, ſive ut loquitur Helmontius, perterrefit Archæus. Quòd ſi omnes repentinas mutationes cavere debeamus,

quantò magis aëris, cùm ab aëre magis quàm ab omnibus aliis rebus afficiamur. Ipſo enim à primo vitæ exordio ad tumulum uſque carere non poſſumus.

LXXXII.

Ibid. Γῆ μεταμείβειν σύμφορον ἐπὶ τοῖσι μακροῖσι νοσήμασιν.

Regionem mutare in longis morbis confert.

Sive navigans, ſive terreſtre iter faciens quiſpiam in aliam regionem migraverit, vel motus in itinere aut navigatione, vel aëris mutatio proderit: & maximè cùm in aërem contrariæ temperaturæ diſceſſerit. Contrariam autem dico, non ſolùm aëris primæ regionis temperamento, ſed etiam ipſius morbi: nam ſi humidus morbus ſit, in ſicciorem aërem migrandum erit: ſi ſiccus in humidiorem. Sic & in reliquis conjugationibus. Galen. in hunc loc.

LXXXIII.

Ἐν τοῖσι παλιμβόλοισιν αἱ μεταβολαὶ ὠφελέουσι. Epid. 6. Sect. 6.

In morbis vagis & mutabilibus, mutationes juvant.

Juvant in iſtis morbis vagis & recidivas patientibus, mutationes in rebus non naturalibus, uti ſuperiùs de aëris mutatione dixit, ſed etiam in medicamentis: unde ad diæteticam & ad therapeuticam pertinet.

APHORISMI NOVI.

SECTIO V.

Therapeutica.

I.

Epid. 6. Νούσων φύσιες ἰητροί.

Naturæ morborum medicatrices.

Ars Medica, inquit Senex lib. 1. de victus ratione, *ab eo quod moleſtum eſt liberat, & id ex quo quis ægrotat auferendo, ſanitatem reddit. Idem & natura per ſe facere novit.* Ita verbi gratiâ ſcatet alvina regio totúmve corpus crudis, bilioſis, impuríſque humoribus, varia ſympto-

mata inferentibus, hoſce purgantibus, vel vomitoriis, vel ſudoriferis medicamentis è corpore eliminare novit Medicus, & idem natura per ſe exequitur ſæpius diarrhæâ, vomitu atque ſudore ſpontaneo. Imò Medicus & medicamẽta nihil niſi naturæ ope adjuti aſſequuntur, unde illi aliquando & purgantia & vomitoria exhibent nullâ purgatione, nullóque vomitu ſubſequentibus, eo quòd natura ſpiritibus exhauſta, vel humorum copiâ oppreſſa fatiſcat, nec inſurgere adverſus morbum valeat. Igitur veriſſimum eſt Hippocratis effatum lib. de lege: *πρῶτον μὲν ἐν πάντων δεῖ φύσιος: φύσιϊ γὰρ ἀνθιπρατθέοντα κενεὰ πάντα. Imprimis naturâ opus eſt. Naturâ enim repugnante irrita ſunt omnia.*

II.

Τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν ἰήματα. De Flat.

Contraria contrariorum ſunt remedia.

Medicina enim, ſubdit, *eſt additio*

& ſubtractio: ſubtractio quidem ſuperfluorũ, additio verò deficientium, quam ſententiæ partem in Phyſiologicorum Aphoriſmorum numerum retulimus. Idem repetit lib. de nat. hom. *Morbos quos parit repletio, ſanat evacuatio, quos verò evacuatio, eos repletio curat: & qui ex immoderato labore fiunt, eos quies ſanat, quique ex otio gignuntur, labor indefeſſus curat.* Ita Epidem 6. *Impensè calido corpori interna refrigeratio comparatur.* Et de ægrorum diæta agens; *In morbo contraria victus ratio adhibenda.* Itaque ſi *ſimilia ſimilibus curentur*, ut aliquibus placet, id fit quatenus contrariantur morbo, quanquam cauſæ morbificæ ſimilia. Sic ambuſta calidorum applicatio juvat, quia poros aperiendo igneas particulas in parte retentas eliciunt. Sic vomitus vomitum curat, quia irritantem humorem expellit.

III.

Epid. 6. Ἴησις ἀγλίνοον μὴ ὁμονοεῖν τῷ πάθει.

Medicatio eſt morbo obluctari.

Hic Aphoriſmus ad ægrum & ad Medicum referri poteſt. In primo ſenſu Hippocrates Epidem. 1. morboſe opponere ægrum jubet. In ſecundo, hæc fatur libro de natura humana. *In totum Medicus noſſe debet tum inſtantibus morbis, tum naturis, tum temporibus, & ætatibus ſe opponere, & quæ diſtendunt ſolvere, & ſoluta intendere. Eâ enim ratione quod affligit quieſcet, & curatio ſequetur.*

I V.

Τέχνης μὲν πάσης ἀλλότριον ἀναβολὴ: ἰητρικῆς δὲ καὶ πάνυ, ἐν ᾗ ψυχῆς κίνδυνος ἡ ὑπέρθεσις. Epiſt. ad Cratev.

Ab omni quidem arte aliena eſt procraſtinatio, ſed maximè in Medicina, in qua dilatio vitæ periculum affert.

Omnis res grata quæ fit in ſuo tempore, inquiunt Hebræi Doctores. *Fronte capillata, ſed pòſt occaſio calva*, ait Poëta, & *occaſio præceps* inquit Hippocr. Morbi autem acuti

præſertim, qui celeri gradiuntur pede, ſententiæ hujus veritatem confirmant : quæ enim remedia hodie conveniunt, aliquando pernicioſa evadent ſi ſequenti die exhibeantur.

V.

Præcep. Μὴ ὀκνέειν πρὸς ἰδιωτέων ἱστορέειν, ὥν τι δοκέει ξύμφερον.

Ne pigeat ex plebeiis ſciſcitari ſi quid ad curationem utile.

Idem commendat Galenus, & ipſemet plebeïos & imperitos, piſcatores, aliósque infimæ ſortis viros conſulere non erubuit, lib. *de ſimpl. facult.* Et certum eſt Medicinam augmentum ſuum debere maxima ex parte experimentis à plebe ſæpius factis. Antequam enim in Artis formam coërcita foret Medicina, alumnósque haberet qui eam exercerent, exponebantur ægri in viis publicis, ut qui tales paſſi fuiſſent morbos indicarent quibuſnam præſidiis profligati erant : ſic *exemplo monſtrante viam*, eadem adhibebantur, & ſi

iterum juvarent, volitabant *per ora virûm* & posteritati commendabantur. Ita sanè apud Hippocratem multa conscripta sunt remedia empirica, præsertim in libris de morbis Mulierum, quæ proculdubio à Mulierculis partu functis aut hystericis affectionibus quondam affectis, didicerat & annotaverat. *Mulieribus enim*, inquit lib. de septimestri partu, *fides habenda est, ubi de iis quæ circa partum accidunt, loquuntur. Nam & omnia narrant, sempérque dicunt & semper proferunt. Neque aut opere aut sermone cujusquam se persuaderi sinunt, sed ex eo quod sibi contigisse norunt.*

VI.

Ἀσκεῖν περὶ τὰ νοσήματα δύο; ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν. Epid. 1.

Duo in morbis præstanda; adjuvare, aut saltem non nocere.

Medicus φιλόσοφος ἰσόθεος, *Philosophus Deo similis*, inquit Hippocrates,

quaſi Dei manus eſt ad ægrorum conſolationem: unde ſemper conniti debet totis viribus ægrum juvare, & morbum arcere: at quia ſæpe Medicus improviſis ſymptomatibus turbatus, & imperitiæ homini inſitæ tenebris circumfuſus, quid morbo conveniat perſpicere nequit, & tamen æger ſibi aliquid præſcribi vult, videat ſaltem ne tunc aliquid quod nocere poſſit propinet. *Neque enim Medicina*, inquit Senex, *ſupervacaneam potentiam ſibi arrogat, cùm ſiquidem ipſi multa aggrediuntur, in multis verò ab iis ſuperantur.* lib. de decent. habitu.

VII.

Epid. 6. Sect. 8. Ὅπως τὰς νόσους, ἀπό τινων, τινὰ σχήματα, ἐφ' ἃς τόπους ἐτράποντο, ἤρχοντο, παρῆσαν, ἐπαύσαντο.

Conſiderare morbos oportet, qualiter, ex quibus, quas formas habeant, in quæ loca verſi ſint, quo tempore cœperunt, adfuerunt, ceſſarunt.

Hæc enim omnia ſunt neceſſaria, ut morbi naturam probè cognoſcamus, quo pacto primus morbi inſultus micuerit; quibus cauſis tribuendus videatur; quos typos quáſve formas habeat, verbi gratiâ, utrùm, ſi febris adſit, tertianæ, quotidianæ typum habeat; in quas corporis partes humorum facta ſit depoſitio; quo tempore inceperint, viguerint & ceſſarint ſymptomata ac paroxyſmi.

VIII.

Ἀγαθοῖσι δ' ἰητροῖσιν αἱ ὁμοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας. Ibid.

Optimis verò Medicis ſimilitudines imponunt & difficultates pariunt.

Acutè quidem nec ſine ſale à Momo dictum olim fuiſſe fingunt mythologi, deeſſe corpori humano feneſtram, quâ latentium intus morborum veram cauſam oculis ipſis liceat explorare; cùm enim lateant, ratio ut ut firma, ſenſuum ope

deſtituta vix facere poteſt, quin ſæpius fallatur Medicus. Ad id conferūt maximè ſimilitudines, quæ non tantùm plebeiis hominibus, ſed ſummis viris imponunt; nam & Hippocrates ipſe & Galenus, duo Medicinæ Principes ſe deceptos fuiſſe ingenuè confitentur: in quo majorem ſanè mihi laudem mereri videntur, quàm ſi veſanâ turgiduli gloriolâ errorem ſuum diſſimulantes, dediſſent occaſionem poſteris in ſimiles errores impingendi. Magnorum enim virorum eſt & fiduciam magnarum rerum habentium errata ſua ingenuè confiteri; illis enim quoniam multùm eſt famæ facilè aliquid ſibi detrahunt; parvi verò quia nihil ferè habent, nihil quoque ſibi detrahi patiuntur. Hippocrates ſe deceptum fuiſſe fatetur in Autonomo ictu lapidis in ſyncipite percuſſo. Fefellit eum ſagittalis ſutura, & fatetur ſe ignoraſſe ipſum ſectione opus habere. Galenus verò deceptum ſe in ſeipſo colico dolore cruciato confitetur l. 12. meth. c. 7. Putabat enim hunc dolorem à craſſis & viſcidis ſuccis

ſuccis oriri, quem deinde ab acri humore factum cognovit. Quod ſi tantis viris imponunt ſimilitudines, quid de cæteris credendum ? Sed & pariunt difficultates in curatione, eum enim rectè curare impoſſibile eſt, quem prima morbi origo fefellerit. Si enim dolori à calida orto cauſa calida adhibeas præſidia, & viciſſim; morbus non curatur, ſed augetur. Hinc ſanè patet quàm meritò apud cordatos viros explodi debeant agyrtæ & Empirici, qui nullâ corporis humani & morborum cognitione freti, quibuſvis mortalium languoribus, unico præſidio, certam opem pollicentur.

IX.

Ὁκόϑοι τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῶν νούσων εὐθέως ἐπιχειρέουσι λύειν φαρμακείῃ, τῷ μὲν φλεγμαίνοντϑ· ὐδὲν ἀφαιρέουσιν· ἢ γὰρ ἐνδιδοῖ ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος ; τὰ ὑγιεινὰ συνήκουσι. De diæt. in acut.

Quicunque per initia morborum inflammationes medicamento purgante ſolvere ten-

tant, ij de inflammata parte nil detrahunt, cùm non cedat cruda affectio; ea verò quæ ſana ſunt colliquant.

Hunc Aphoriſmum explicat Galenus, cùm illum expoſuit; *Concocta medicari oportet non cruda*, cujus hic eſt veluti periphraſis & particularis ad inflammationem applicatio.

X.

Ibid. Οὔτε ἄωρα καιρὸν, οὔτε σφοδρὰς κενεαγγείας ποιέειν, οὔτε ἀκρασίους τῆς νουσημάτων, καὶ ἐν φλεγμασίῃ ἐόντων προσφέρειν, οὔτε ἐξαπίνης μεταβάλλειν.

Neque intempeſtivas neque vehementiſſimas vaſorum inanitiones moliri fas eſt: neque cùm morbi vigent, & in inflammatione conſiſtunt, cibum offerre, nec quicquam repente mutare tutum eſt.

Periculoſas eſſe magnas ſeu evacuationes ſeu repletiones, variis in locis

inculcat Hipp.& revera maximas vacuationes plerumque lethalis ſyncope ſequitur,exhauſtis ſpiritibus animalibus vitæ fulcris.Cùm verò morbi vigent,tum non convenit cibum offerre copioſum,quia tunc natura ab humorum pepaſmo ad pepſim alimentorum avocatur. Idem aſſerit Aphor.8. ſect. 7. vett. Aphor. ubi dicit, Cùm morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt. Pariter ſi adſit inflammatio, tenuis etiam victus convenit, ne cibo polytropho incandeſcens ſanguis augeat inflammationem. Repentinas tandem mutationes, ut ſubitò & derepente calefacere & refrigerare, vel alio quovis modo movere, periculoſum pronunciavit Hippocr. multis in locis. *Omne enim*, inquit, *nimium naturæ inimicum.* Aphor. vet. 51. ſect.2.

XI.

Μὴ φαρμακεύειν τὺς βραδυχαλέυς, τὺς σπλεωώδεας, τὺς πνευμαλικὺς καὶ ξηρὰ βήσσοντας, τὺς ἱερώδεας, καὶ τ ὑρήθρας ἀιρεαλεῖς, καὶ ὧν αἱ κοιλίαι ὠμὰ ἐκβάλλυσι, καὶ αἱμορροώδεας. De diæt. in acut. & Epiſt.

Minimè purgandi ſunt raucedinoſi, lienoſi, aſthmatici & ſiccâ tuſſi laborantes, icterici, ſtranguriâ affecti, & quibus alvus cruda dejicit, & qui hæmorrhagiam patiuntur.

Purgatio eſt inutilis humoris ab utili ſecretio, ſeu naturæ ſponte, ſeu arte à Medico procuretur. Hæc ut legitimè fiat plurimæ requiruntur conditiones. Imprimis verò debet omnis peregrinus calor exulare, humores quieti ſint, fluidi, & cocti; præhumectatum & præparatum corpus neceſſe eſt. Secus ſi fiat, corpus non purgatur ſed turbatur. His ſanè de cauſis raucedinoſi purgandi non ſunt; ſic enim ad fauces præceps magis rueret humor. Lienoſis etſi purgatio conveniat ad expediendas viſceris hujus emphraxes, priùs tamen ſi induruit, debet emolliri, ut pharmaco pateat aditus; priùs debuere parati ad fermentationem humores atrabilarij cicurari, ut purgatione non incaleſcant. Aſthmaticos, ſi quo

tempore depluit à cerebro in bronchia humor, purgaveris, ſuffocabis. Sicca verò tuſſis, quoniam non à copioſa ſed ab acri & pauca oritur materia, purgatione exaſperabitur, catharticúmque præſidium huic calcar addet non frænum. Ictericos quoque, ſi quo tempore jecur obduruit & ardet corpus univerſum purgaveris, parum cautè facies. Quibus ardet urina, medeberis non catharſi augente ardorem, ſed lenientibus. Dum verò alvus cruda dejicit, ſi purgaveris turbabis omnia, pepſim expecta, concocta enim medicari, non cruda, docet Hippocrates multis in locis, expreſſis verò verbis Aphor. 22. ſect. 1. Si apertis tandem narium aut ſedis arteriolis ſanguis funditur compeſce ipſius motum refrigerantibus incraſſantibus, hypnoticis & aliis, ſed noli urgere taracticis & catharticis.

XII.

Τὸ φάρμακον πρῶτον μὲν ἄγει, ὃ ἂν αὐτέῳ κὴ φύσιν μάλιστα ᾖ, ἐπεὶ τῶν καὶ τάλλα. De nat. hom.

Medicamentum purgans primò quidem educit quod naturæ ſuæ affine eſt, deinde verò & reliqua.

Magna ſemper inter Medicos quæſtio fuit, quomodo in noſtra corpora agerent medicamenta purgantia. Quidam ſubſtantiæ contrarietate & quaſi in eos ſimul ac humores pravos inſurgente naturâ. Alij ſimilitudine ſubſtantiæ, veluti magnes ferrũ, humores elicere, quorum hîc Coryphæus Hippocrates. Alij tandem irritatione & ulceratione quas in ſtomacho excitant.

XIII.

De Affect. Τοῖσι χολώδεσι τὰ ὑφ' ὧν χολὴ καθαίρεται, φλεγματώδεσι τὰ ὑφ' ὧν φλέγμα, μελαγχολώδεσιν ὑφ' ὧν μέλαινα χολή, ὑδρωπιῶσι δὲ τὰ ὑφ' ὧν ὕδωρ.

Bilioſis medicamenta cholagoga exhibenda, pituitoſis phlegmagoga, melancholicis melanagoga, hydropicis verò hydragoga.

Cùm multorum in medicinæ praxi rationem habere oporteat, nullius certè magis quàm temperamenti & humoris prædominantis. Hæc eſt antiquiſſima & trita magis medicinæ lex, à qua qui deflectit ne hilum proficiet. Si itaque bilis abundet, hac corpus liberandum eſſe cholagogis, & ſic in cæteris agendum eſſe evidens magis eſt quàm ut probatione indigeat: & ſi medica aliqua theoremata eſſent in hujuſce Aphor. probationẽ revocanda, hæc duo maximè, ſufficerent, ſublatâ causâ tollitur effectus, contraria tolluntur contrariis; in bilioſis bilis eſt morbi cauſa, tolli itaque debet: at verò bilis contraria ſunt cholagoga, itaque bilioſis cholagoga, phlegmaticis phlegmagoga, & unicuique contraria ſua exhibenda ſunt.

XIV.

Φάρμακα δὲ χρὴ τὰ ἰσχυρὰ φύσει ἐπὶ τῶν ἀσθενέων νοσημάτων διδόναι, ὀλιγόστιν τῶν φαρμάκων ἀσθενὲς ποιεῦντα. De locis in hom.

In morbis levibus medicamenta naturâ vehementia non

sunt exhibenda, nec imbecillitas medicamenti paucitate metienda.

Si levi morbo validum adhibeas præsidium, morbum fortè non curabis, sed augebis. Turbabis enim absque necessitate naturam, cui inimicum omne nimium & præsertim mochlicum. Adde quòd parum prudens erit hæc praxis; quorsum enim rem aggredi cum periculo, quæ ἀκινδύνως mitiori præsidio cedere potuisset. Talis Medicus vituperatione vacare nequit: si enim ipsi medicamentum succedat, ægérque curetur, saltem temeritatis & impudentiæ reus erit. Si non successerit, eò magis culpandus. Neque verò eo quòd parvâ dosi medicamentum exhibeas, debile credas. Sunt quippe multa molé minima, virtute maxima. Sic plùs possunt grana aliquot stibij præparati aut diagrydij, quàm unciæ aliquot cassiæ aut mannæ.

XV.

De sterili. Τῶν ἰσχυρῶν φαρμάκων τὰ πλεῖστα ἄκοπα. Ἡ στόμαχον.

Medicamenta vehementia ut plurimùm ſtomachum exulcerant.

Talia ſunt ſtibiata inconſultò ab Empiricis exhibita, à quibus ſtomachi dolores, ſanguinis vomitus, ſingultus, ſimiliáque ſymptomata exulcerationis conſectanea, aliquando accidunt. Talia ſunt & plura remedia à plebe potiùs quàm ab eruditis Medicis uſurpata, cataputia, tithymalus, pinei Indici, & ejuſdem farinæ alia, quæ inſtar veſicatoriorum in ſtomachi tunicis veſiculas excitant, & irritatione quam inibi creant, vehementem purgationem exequuntur. Non ergo dubium quin Hippocrates & alij antiqui, qui ſæpe medicamenta valida, veluti helleboros omnis generis, præſcribebant, modos & præparationes habuerint, quibus vis & malignitas eorum obtunderetur. Hæ autem præparationes nobis ignotæ ſunt, eo quòd multa veterum ſcriptorum perierint, veluti Pharmacitidis liber, quem conſcripſerat Hippocrates, quémque ſæ-

pius citat. Sed benigniora nunc à nobis uſurpantur antiquis incognita, veluti caſſia, ſenna, tamarindi, manna, ac myrobalani, à quibus metuendus non eſt priorum effectus.

XVI.

De loc. hom. Τῶν νοσημάτων ὧν μὴ ἐπίσηταί τις, φάρμακον πίσαι μὴ ἰσχυρὸν, ἵν' ἢν ῥᾶον γένηται, δέδεικται ὁδός.

In morbis quos aliquis non cognoſcit, medicamentum minimè vehemens propinandum: quòd ſi inde meliùs habeat, via indicatur.

Sapientis viri conſilium iſtud eſt. Cùm enim in arte noſtra multa ſint opinioni ſubjecta, imò & nonnulla ſenſum & captum noſtrum fugientia, velint tamen ægri ſibi aliquid præſcribi; ſi negligentiæ culpari nolit Medicus, etſi adhuc morbi naturam non detexerit, præſcribere debet ægro medicamentum, ſed primò quidem leve & innoxium, ut ſi inde

meliùs habeat ſimile, ſed validius, ſi pejus, contrarium adhibeat.

XVII.

Ἐπιὼ φάρμακόν τις πιὼν ὑπερνόσῃ, καὶ κάτω καὶ ἄνω ὑπεκχωρέῃ, οἶνον καταῤῥοφεῖν, τὸ μὲν πρῶτον κεκραμένον, ἔπειτα ἄκρητον θαμινὰ διδόναι καὶ παύεται. Ibid.

Cùm quis ex medicamenti potione malè affectus fuerit, & infrà ſupráque nimiùm demiſerit, vinum primò quidem dilutum, deinde meracum frequenter ſorbendum exhibeto, & ſedabitur.

Vinum ſuperpurgationis remedium eſt, quia fermentationem in ſanguine excitat, fermentationi quæ à purgante fit contrariam. Purgans enim movet & pellit humores à circumferentia corporis ad centrum, à venis ad inteſtina & ſtomachum: vinum verò & alia cardiaca movent humores à centro ad circumferen-

tiam, à ſtomacho & inteſtinis ad venas & habitum corporis. Vel etiam vinum purgantis actionem nimiam reprimit, quia partibus ſuis oleoſis & ſulfureis purgantium acrimoniam obtundit. Adde quòd & ſtomachi fibras à cathartico laxatas vinum non mediocriter roborare valet.

XVIII.

(De morb. l. 2. Ὑποκλύζειν ἢ τὰς κοιλίας καὶ βαλάνους προσιθέναι, ἢν μὴ ἡ κοιλίη ἐυέοχωρέῃ, ἐν πάσῃσι τῆσι νούσοισι.

Clyſteres autem infundere aut ſuppoſitoria apponere oportet, in quibuſcunque morbis alvus non eſt libera.

Alvus libera non minimi eſt ad ſanitatem momenti; hac enim viâ tanquam per cloacam expurgatur corpus, ſive ſponte ſive arte id accidat. Innoxia & utilia huic propoſito clyſmata & ſuppoſitoria, quicquid è contra blaterent fumivenduli Panacæarum aſſertores, Paracelſi, Helmontiíque clientes.

XIX.

XIX.

Ἀνλισπᾶν, ὡὶ μὴ ᾗ δεῖ ῥέπει : ὡὶ ᾗ δεῖ ῥέπει, τούτοισι δεῖ ξομοιῶ, οἵως ἕκαςα ῥέπει. Epid 6

Revellenda ea ſunt, quæ quò non oportet repunt: ſin autem quò convenit, iis viam ſternere oportet, ut ſingula eò vergant.

Revulſio eſt motus humorum ad partes oppoſitas, veluti ſi ad caput accurrens ſanguis per ſaphenæ ſectionem quaſi retrahatur. Scio multos ex neotericis circulationem admittentes revulſionem aliquam fieri poſſe vix admittere velle, eo quòd alius ſanguini motus conciliari nequeat quàm circulatorius. At fortè id malè ſupponitur, etenim in fluente rivi ſeu fluminis aquâ, in contrarium aquæ pars ſaltem rivulo retrahi poteſt: quidni autem ſimile fieri poſſit in ſanguinis rivo? Et hoc ſæpè ſufficit etſi ferè momentaneum, ut copioſiùs affluens ad aliquam par-

tem ſanguis retrahatur, revellatúrque. Cæterùm pro revulſionis uſu pugnat experientia, phlebotomia enim è pede delirio utilis, quanquam quo pacto id fiat non ſatis rationibus poſſit comprobari.

XX.

De humor. Μὴ τὰ ἐκπεχυμένα εἰς τὸ ἔσω ἀπολαμβάνει, ἀλλὰ τὰς ἀφόδους ξηραίνειν.

Humores extravaſatos intro ne intercipito, ſed aditus exſiccato.

Extravaſati humores putreſcunt, unde febres, abſceſſus, partium coroſio, putredines, caries ac gangræna oriuntur. Igitur non ſunt intro cohibendi, ſed iis parandus quocunque modo exitus, & quod præcipium eſt aditus exſiccandi, hoc eſt, viæ per quas feruntur obturandæ antequam extravaſentur, ſive fons unde oriuntur exſiccandus, & exhauriendus.

XXI.

Τὰ νοσήματα ἢ πελας-άτω πέφυκεν ἐξάγειν. De locis in hom.

Morbi per eam partem cui maximè vicini esse solent, educendi.

Sic enim natura non fatigatur, quia contrarius motus humoribus non conciliatur, imò quâ data porta faciliùs feliciúsque erumpunt, nec aliæ corporis partes sanæ corruptæ materiæ transitu inficiuntur, quod accideret, si longè à parte affecta via ipsis sterneretur. Inde Clysterum, vomitoriorum & purgantium utilitas pensanda est, & stabilienda, renitentibus quanquam Helmontio & ipsius sequacibus: cùm enim stomachus & intestina, partésque vicinæ scateant crudis indigestísque Chyli reliquiis, quæ viscositatis certum gradum adeptæ, aut bili permistæ, pituita vitrea, æruginosa aut vitellina audiunt, quomodo per breviorem viam exturbari possunt, quàm per vomitum aut secessum?

An diuretica aut ſudorifica, illas facilè attenuare poterunt, ut per viarum urinariarum ambages, aut per cutis ſpiracula in halitus formam pelli queant? Tales autem exiſtere crudos in hiſce viis humores, ſatis ſupérque docent, ſolita ingluviei & ingurgitationis in hominibus noſtris conſuetudo, imò & ab omni ævo ſtabilita, unde à cibis & potibus oriri omnes ferè morbos conqueſtus eſt divinus noſter Senex, & poſt eum Seneca, Plinius, aliíque.

XXII.

Ibid. Ἐπὶ παραλάβῃς ἐνώμβον καὶ ἐμετῶντα, μὴ παύειν τὸν ἔμετον· ἢν δὲ ἀσθενὴς ᾖ ὁ ταῦτα πάσχων, ὕπνου φάρμακον δεδόναι.

Cùm evacuatum & vomentem curandum ſuſceperis, vomitum ne ſedato: quòd ſi ita affectus fuerit debilis, medicamentum ſomnum concilians exhibeto.

Quod cum ratione præſcriptum

fuit & neceſſarium judicatum non temerè immutandum. Vomiturienti ſi vomitum ſedes, pravos qui excludi debebant, retines humores. Attamen quia ſemper maxima virium habenda eſt ratio, ubi ex nimia vacuatione æger debilis factus fuerit, commodè vomitum ſedabis remediis narcoticis prudenter exhibitis. Illa enim partibus ſuis craſſis ac ſulphureis, ſpirituum & humorum motum à purgantibus excitatum cohibent.

XXIII.

Ἐμέτου λύσις, ὕδωρ θερμὸν διδόναι πίνειν καὶ ἐμεῖτω. Epid 2. ſect. 5.

Vomitum ſedat aqua calida epota & vomitione reddita.

Diluit enim humores acres vomitum excitantes, eóſque ſecum ſimul evacuat: at calidæ voce tepida intelligenda, quæ potiùs quàm calida vomitiva eſt.

XXIV.

Κοιλίου ξυντροπαίου λύει ἔμετος, καὶ De diæt. li. 2.

διαχωρῆσαν μᾶλλον ἢ καρῆ ἵστησι, ἢ μὴ διυγραίνων, τὴν ἢ ξηραίνων.

Alvum constipatam solvit vomitus, & nimis fluidam sistit, illam quidem humectando, hanc verò siccando.

Vomitus sæpè accidit ex variorum humorum bilioſorum acriúmque confluxu ad stomachum, quo in casu alvus priùs constipata, irritatur & solvitur, atque ab istis humoribus humectatur. Alvum verò fluidam sive diarrhœam à nimia pravorum humorum copia ortam curat vomitus ex aliqua causa procatarctica, vel arte ope emeticorum excitatus: revellendo enim ab intestinis illa exhaurit & exsiccat.

XXV.

De locis in hom. Ῥόος ξυμφέρον ἐκ κεφαλῆς ῥέοντος, ἔμετος.

Fluxione ex capite manante vomitus confert.

Fluxioni ex capite quæ anginam

& apoplexiam & catharrum ſuffocantem parit, perutilis eſt vomitus, quo materiæ pars vacuatur, & ad expulſionem excitatur cerebrum. Ita nemo eſt qui ignoret, emeticorum vim in apoplexiæ ſoporoſorúmque ferè omnium affectuum curatione.

XXVI.

Κακύρσων γάλα, σκόροδον, οἶνος ἀπε- Epid. 6.
ζεσμμένος, ὄξος, ἅλες.

Malignorum remedia ſunt lac, allium, vinum ferveſactum, acetum, ſalia.

Lac námque venenis eroſione interficientibus adverſatur, ſiquidem temperatione opus eſt. Allium vehementi frigiditate ladentibus reſiſtit. Vinum mediocriter frigidis. Acetum verò, ut glutinoſos quales fungorum eſu creantur, ſuccos incidat, vel refrigerandi causâ, ſicut adverſus Thapſiam requiritur: poſtremò ſal, ut totam maleficorum humorum medicamentorúmque ſubſtantiam conſumere poſſit. Galen. in hunc locum.

Quam autem alexiteriam vim habeant ſalia præſertim volatilia, quæ ſanguinis coagulationem impediunt, ſatis norunt recentiores.

XXVII.

Epid. 2. ſect. 5. Οἵοι ἐξαπίνης ἄφωνοι ἀπύρετοι ἔωσιν, φλεβοτομέειν.

Qui derepente ſine febre voce deficiunt, iis venam ſecare oportet.

Sive apoplexiam ſanguineam intelligas, ſive ἀφωνίαν ex cauſa aliqua procatarctica, veluti ebrietate, irâ, catharro in fauces & pulmones ſubito depluente, non parum conferet venæ ſectio ex mediana, jugularibus vel ranulis. Hoc enim pacto ſanguinem vel nimiâ copiâ vaſa diſtendentem evacuabis, vel ipſi quaſi immobili reddito motum reddes liberiorem.

XXVIII.

De diæt. in acut. Τὰ ὀξέα πάθεα φλεβοτομήσεις λῷον ἰσχυρὰν φαίνῃ τὸ νόσημα, καὶ οἱ ἔχοντες

ἀκμάζωσι τῇ ἡλικίῃ, καὶ ῥώμη παρῇ αὐτοῖσιν.

In morbis acutis ſanguinem detrahes, ſi vehemens fuerit morbus, & ægroti ætate florente fuerint, & viribus valuerint.

Non ergò ita fuit in ſanguine mittendo audax Hippocrates, ac multi ex recentioribus, qui ſæpe cum ſanguine vitam ægris adimunt. Miratur autem Galenus quòd hanc ſententiam inter Aphoriſmos non repoſuiſſet, cùm in paucis verbis vis magna reperiatur. Sed quomodo chronicorum morborum non meminit? Quoniam, inquit Galenus, de acutis duntaxat ſermonem tunc habebat, atque ob id eos ſolos memoravit.

XXIX.

Κυνάγχῃ καὶ ὀφθαλμίῃ, φλεβοτομίη. Epid. 7.

Anginam & ophthalmiam venæ ſectio ſolvit.

Hi duo morbi ab inflammatione oriuntur, cui curandæ apprime convenit phlebotomia. De utroque morbo iterum Aphorismi sequentes magis præcisè.

XXX.

De diæt. in acut.

Ἢν κυνάγχῃ ἡ φλεβοτομίαν ποιέειν ἀπὸ βραχίονος, καὶ ἀπὸ τῆς ὑπὸ τὴν γλῶσσαν φλεβῶν, καὶ φαρμακεύειν τοῖσιν ἐκλείγμασι καὶ καταγαργαρίζειν θερμοῖσι.

Si angina adsit phlebotomiam administrare oportet ex brachiis & ex venis sub lingua, & eclegmata exhibere, & calidis gargarismatis uti.

Nullus fortè morbus est cui ita conveniat Phlebotomia, eáque iterata pro rei necessitate. Est enim Angina inflammatio Laryngis & faucium, respirationem & deglutitionem tollens, nisi subitò ipsi succurratur derivatione & evacuatione sanguinis, qui ad partem dolentem accurrit, quod venæ sectione ex brachiis

aut ranulis fit. Interim eclegmata exhibere, ut vicinus pulmo & fauces, phlegmate inibi ſubſiſtente ob impeditam expectorationem, liberentur. Et calidis ſeu tepidis gargariſmatis uti; ſicut enim conſtringunt frigida, ita relaxant & diſcutiunt calida.

XXXI.

Ὀφθαλμίης ἐπιδήμιῃ ξυμφέρει κάθαρσις, καὶ ἐνίοις αἵματος ἀφαίρεσις, καὶ σικυῶσαι κατὰ τὰς φλέβας, σίτου ὀλίγου ἄρτου, καὶ ὕδατος πόσις. De vidēdi acie.

Ophthalmiæ Epidemicæ confert purgatio & quibuſdam venæ ſectio, & cucurbitulæ ad venas, pro cibo modicus panis & aquæ potus.

Ophthalmia Epidemica varij temperamenti homines prehendit, variiſque ſcatentes humoribus: unde non idem ſufficit omnibus præſidium. Sunt quibus venæ ſectio, ſunt quibus purgatio, aut cucurbitulæ conferunt: & omnibus ferè diæta te-

nuis & refrigerans, quæ ſanguinem minuat & temperet, ex modico pane & aquæ potu.

XXXII.

Ibid. Ἤν τινι οἱ ὀφθαλμοὶ ὑγιέες ὄντες διαφθείρωσιν τὴν ὄψιν, τετέῳ χρὴ τομόντα κατὰ τὸ βρέγμα ἐπαναδείραντα, ἀπορίσαντα τὸ ὀστέον, ἀφελόντα τ' ὕδρωπα ἰῆσθαι.

Si quis oculis ſanis viſionem diminutam habeat, huic ſectione ad ſynciput factâ, inſupérque cute ab oſſe remotâ, & oſſe exciſo, aquâ detractâ medeberis.

Magnum ſanè & audax præſidij genus, in gutta ſerena incipiente, quæ cùm frequenter oriatur ex ſeri copia opticos nervos relaxante aut obſtruente, trepano ab Hippocrate curabatur, quo aquâ vacuatâ priſtinam oculorum aciem recuperat æger.

XXXIII.

De cap. vuln. Τάμνουσι τὴν κεφαλὴν, τὰ μὲν ἄλλα τῆς

τῆς κεφαλῆς ἀσφαλείᾳ ἔχει ταμνόμενα: ὁ δὲ κρόταφος καὶ ἄνωθεν ἔτι τοῦ κροτάφου καὶ τοῦ φλέβα τοῦ διὰ τοῦ κροτάφου φερομένου, τοῦτο τὸ χωρίον μὴ τάμνειν, σπασμὸς γὰρ ἐπιλαμβάνει τὸν τμηθέντα.

In capitis ſectione cæteræ quidem partes tutò ſecari poſſunt : tempora verò & quod ſupra eſt juxta venam quæ per tempora fertur ſecari non debent ; ſectum enim convulſio prehendit.

Temporum vulnus admodum periculoſum eſt, tum ob hæmorrhagiam quæ ab inciſione ramorum venarum jugularium & arteriarum carotidum oritur, tum ob convulſionis metum, quæ ob partis iſtius tendinoſæ ſenſibilitatem ægrum facilè prehendit. Idem repetit Hippocr. in Prorrhetico : ἄρα γε καὶ ἐπὶ τοῦ κροτάφου ὀστέων διακοπαὶ σπασμὸν ἐπικαλέονται. Et in Coacis, ὁκόσοισι κρόταφος τάμνεται, σπασμὸς ἐν τῷ ἐναντίων τοῦ τομῆς ἐπιγίνεται : Id eſt, *quibuſcunque tempora ſecan-*

tura, convulsio ex parte opposita supervenit. At si fractura in hoc osse acciderit, paulatim declinato musculo & ab osse diducto, os extremâ parte & superiore, aperire licet.

XXXIV.

De morb. lib. 3.

Λήθαργος ὅταν λάβῃ, τούτῳ ἐλπὶς μὲν πάνυ βραχεῖα, περιγίνεται: ὅμως δὲ πτύειν δὲ ποιέειν ὡς πλεῖστον, καὶ θερμαίνειν, καὶ οἰνέειν.

Lethargus si prehenderit, huic quidem admodum exigua vitæ spes est: efficiendum tamen ut plurimùm spuat, & calefiat, & vino abstineat.

Lethargus ferè lethalis est, cùm affectum sit graviter cerebrum. Sed si quodammodo ruens ad caput phlegma vacuari & discuti possit, id tentandum præsidiis quæ sputum, imò & vomitum promovent, quæque discutiant & resolvant, ut cataplasmatis, phœnigmis, alterantibus julepis. A vino tamen abstinendum quod vaporosum & καρηβαρικὸν est.

XXXV.

Ὀδυνῶντος ἐν κεφαλῇ τὸ αἷμα καὶ ἀφαιρεῖν ἀπὸ τῶν φλεβῶν, καὶ ἢν μὴ παύῃ, ἀλλὰ πολυχρόνιον ᾖ, διάπαιε τὰς φλέβας. De loc. in hom.

In capitis dolore ſanguinem ex venis detrahito : quòd ſi non ceſſet, ſed diuturnus evadat, venas inurito.

Capitis dolor ſæpè à ſanguine nimium ebulliente originem ducit, quo in caſu venæ ſectio perutilis eſt, utpote quæ ſanguinem ferocientem contemperet : ubi diuturnus eſt & ideo à frigido humore ortus, ad venas cauteria ſunt applicanda, quibus phlegma aut ferum acre derivetur & vacuetur, vel venæ inurendæ quod nunc obſolevit.

XXXVI.

Τὰς ἀφ' ὑστερέων κεφαλαλγίας καθάρσιον παύει. Epid. 7.

Capitis dolores ab utero caſtorium ſolvit.

Dolores capitis à flatibus vaporibúſq; hyſtericis ortos caſtorium ſolvere valet, quod quidem ſuo calore, flatus reſolvere poteſt, & vi ſuâ ſpecificâ, ſi verè dentur ſpecifica, vel ſua volatilitate, uteri motus comprimere, ejúſque vapores diſſipare.

XXXVII.

Epid. 2. Ἦν ἐκ κραιπάλης κεφαλῇ ἀλγέῃ, οἴνου ἀκράτου κοτύλῃ πιεῖν.

In capitis dolore ex crapula, vini meraci cotyla potui danda.

Cotyla pendebat drachmas 78. ſeu uncias novem & drachmas ſex, ideóque ad hauſtum ſatis capacem vinum porrigi vult, ut quemadmodum Athenæus ex Alceo Poëta, *alium calicem ex capite depellat alius*, & ex Antiphane οἴνῳ τ' οἶνον ἐξελαύνειν, κόπῳ κόπον, *vinum vino expellatur, labor labore.*

XXXVIII.

De Affect. Ἦν ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε ὀδυνῶν καὶ σκο-

δ'ινὶν ἐμπίπλει ἐς τὴν κεφαλὴν, ὠφελέει λὼ αἷμα ἀφαιρέθη ἀπὸ τ μυκτήρων, ἢ ἀπὸ τ φλεβὸς τ ἐν τῷ μετώπῳ.

Si ſubinde dolor & tenebricoſa vertigo in caput incidat, juvat ex naribus aut ex venâ frontis detractus ſanguis.

Sic enim fit derivatio humoris qualiſcunque ad cerebrum ruentis, & dolorem illum, vertiginémque patientis.

XXXIX.

Ἕλκος ἐν τῇ κεφαλῇ ὐ χρὴ τέγγειν ὐδενὶ, ὐδὲ οἴνῳ, ἄλλως ἥκιστα, ὐδὲ μοτῷ τὴν ἴσιν ποιέεσθαι, ὐδὲ πιέζειν, λὼ μὴ ἐν τῷ μετώπῳ, ἢ ἐν τῷ φλῳῶ τ περιχῶν, ἢ ἀμφὶ τ ὀφρυῦν, καὶ τ ὀφθαλμόν. De cap. vuln.

Capitis ulcus nullâ re madefaciendum, ac ne vino quidem aut quàm minimùm, neque per cataplaſmata aut linamenta curationem tentare, neque etiam comprimendum niſi in fronte ſit, aut in parte pilis

nudâ, aut circa ſupercilium & oculum.

Ulcus capitis exſiccationem maximè poſtulat, unde in locis humidis periculoſa ſunt capitis vulnera. Etenim levis quæcunque in cerebro putredo, quæ ab humido procuratur, ferè lethalis eſt. Ideo veteres cephalica & catagmatica medicamenta invenere, quæ exſiccare & mediocriter calefacere ac detergere valent. Ita ubi detecta erat dura mater ſanguinem columbinum cum roſaceo affundebant, teſte Galeno. Sic membranam illam vulneratam calaminthæ ſucco & farinâ milij inſpersâ conglutinari ſcribit, ex Archigene Medico Romano in Chirurgia peritiſſimo. Si tamen ulcus ſordidum fuerit, linamenta ſicca non reſpuenda, & medicamenta abſtergentia ex farina hordei, melle roſato & vitello ovi. Tum etiam vinum auſterum in quo abſynthium, roſæ, betonica, aliáque id genus incocta fuerunt.

XL.

Ἢν ὀστέον τιτρώσκῃ ἄλλη τ κεφαλῆς ἢ ᾗ τὸ ἕλκος ἔχῃ ἄνθρωπος καὶ ἐψιλώθη τ σαρκὸς, ταύτῃ τῇ ξυμφορῇ ἐᾶν ἔχοις ὠφελῆσαι οὐδέν. Ibid.

Si os frangitur aliâ capitis parte quàm eâ quâ vulnus eſt & quâ nudatum, huic infortunio nullis remediis ſubvenies.

Sive frangatur tabula interior cranij illæsâ externâ, ſive vicina aliqua lateralis aut oppoſita, lethale vulnus eſt; quia Medicus nulla habens indicia, quâ parte ſit fractum, trepani applicationem non ſuadet, ne in vanum laboret; & aliò quàm fractum os ſit, tendat: unde ſuo relinquitur infortunio, vulneratus æger, qui ex ſanguine intus effuſo, & advenientibus inibi putredine ac gangrænâ malo fato cedere cogitur.

XLI.

Ἢν τὸ ὖς ἀλγέῃ, τῷ γάλακτι διαχρήσθω. Epid. 2. Sect. 5.

Si dolor in auribus prehendat, lacte utitor.

Aures admodum sensibiles sunt, ut quodvis remedij genus adhiberi non debeat: at innoxium & anodynum lac est præcipuè muliebre ex mammis in aures injectum.

XLII.

De Affect. Ὅσα περὶ ὀδόντας τῶν ἀλγήματα, ἢν μὲν βεβρωμένος ᾖ καὶ κινέηται, ἐξαιρέειν, ἢν δὲ μὴ βέβρωται μηδὲ κινέηται, καυσαντα ἀποξηραίνειν· ὠφελέει δὲ καὶ διαμασήματα.

In dentium doloribus, siquidem dens erosus fuerit & mobilis, eximendus: quòd si nec erosus, nec mobilis fuerit, ustione resiccandus: prosunt & masticatoria.

Dentes per se indolentes sunt, at ratione nervi in ipsos inserti dolent. Prima Aphorismi pars lippis & tonsoribus nota. Altera non ita evidens.

Quid enim urendum, an nervus denti implantatus; an vasa pone aures ad dentes gingivásque sanguinem deferentia; an cervicis pars posterior quâ fiat revulsio humoris ad dentes ruentis? Quælibet ista ni fallor, pro re nata usurpari possunt; ut & masticatoria, quibus vasa salivalia aperiantur, & lympha copiosior vel acrior dentium dolorem excitans vacuetur.

XLIII.

Ἢν ἐν τῇ ῥινὶ πόλυπος ἐγχύνῃ, ἐξαιρέεῖ βρόχῳ διελκόμενος ἐς τὸ στόμα ἐκ τ῀ ῥινὸς: οἱ δὲ καὶ φαρμάκοισιν ἐκσήπουσι. Ibid.

Si Polypus in naso nascatur, eximitur laqueo ad os ex naribus pertractus: quidam etiam medicamentis corrodunt.

At securiora & commodiora sunt instrumenta ad polypi extirpationem à neotericis inventa, quorum descriptionem apud Fabricium ab Aquapendente aliósque videre est.

XLIV.

Ibid. Ἢν ἡ σταφυλὴ καταπρεμαθῇ τῇ πνίγῃ, παραχρῆμα τοῖσιν ἀναγαργαλίσμοισι χρῆσθαι· μὴ δὲ πρὸς ταῦτα μὴ ἰσχνὴ γένηται ὄπισθεν ξυρήσαντα τὴν κεφαλὴν, σικύας προσβάλλειν δύο, καὶ τὸ αἷμα ἀφαιρέειν ὡς πλεῖστον, καὶ ἀνασπᾶσαι, ὀπίσω τὸ ῥεῦμα τοῦ φλέγματος.

Si columella laxata ſuffocet, confeſtim gargariſmis utendum : quòd ſi his non minuatur , occipitio deraſo cucurbitulæ duæ admovendæ & ſanguis exinde plurimus detrahendus , pituitæque curſus in poſteriora revellendus.

Columella ſæpè inflammatur & intumeſcit , à ſanguine & humoribus ſeroſis ſive pituitoſis , pituita enim nil aliud eſt quàm ſerum inſpiſſatum , quia autem laryngi ſuperpoſita eſt, , ſi nimium tumeat, viam reſpirationi præcludit. Quod ut præcaveatur gargariſmatis repellentibus

aſtringentibúſque utendum, & cucurbitulæ occipiti applicandæ, ut ad eam ruens humor revellatur, & venæ ſectio quam fortè ut nimis notam omittit; adminiſtranda.

XLV.

Ἢν γάλα σβεσθῇ φράσα καὶ πράμβλῳ ἐσθιέτω, καὶ πρίθας ἐπλισμένας, καὶ βύτυρον ἑψήσας ὁμοῦ καὶ ψύξας δίδου πίνειν. De morb. mul.

Si lac in muliere deficiat, porra & braſſicam comedat, & hordeum excorticatum unà cum butyro coctum & refrigeratum ſorbeat.

Multa remedia in his libris proponit Hippocrates, quæ ex mulierum experientia didicerat, qualia fortè ſunt iſta ad lactis copiam procurandam. Porrum in Græcia multò dulcius eſt quàm in his regionibus, in quibus ejus acrimonia lactis generationi potiùs obeſſe videtur. Braſſica ſatis alimenti ſuppeditat, ſed plùs

adhuc hordeum coctum, ſive hordeatum cum butyro, aut carnium juſculo.

XLVI.

Epid. 6. Sect 7. Αἷμα & φλεβῶν ῥάσιες, λειποθυμίη, σχῆμα, ἄλλη ἀπάλημψις, μολώμα & ξυρροφὴ, πρόδεσις, ἐπίδεσις.

Sanguinem è venis profluentem ſiſtunt animi deliquium, partis ſitus, venæ interceptio, linamentum contortum, appoſitio, deligatio.

Hæmorrhagiam ſiſtit animi deliquium, quia ab eo retrahuntur ſanguis & ſpiritus ad cor. Σχῆμα, *partis ſitus* vulneratæ parti accommodatus, quo hæmorrhagia aliquo modo compeſcatur. Ita divinus Senex, Epid. 6. ſect. 3. vocem hanc uſurpat: τὰ σχήματα τὰ ῥιζοῦντα μᾶλλον, &c. Id eſt, *Figuras quaſdam*, ſive ſitus corporum, *magis allevare perſpicuum, ex eo qui cùm ſarmenta manu flecteret aut intorqueret, ac præ doloribus decumberet, defixi paxilli*

xilli parte inhæsit; & allevamentum sensit. Venæ interceptio vinculo injecto vel intercisione. Linamentum contortum ex materia contorta & implexa, quæ venæ applicata eam comprimit & sanguinem fluentem intercipit. Appositio medicamentorum, verbi gratiâ emplasticorum, spleniorum, aut linteorum oxycrato vel aquâ frigidâ imbutorum. Deligatio conveniens quæ labra vulnerum adducat, aut ligaturæ digitorum in narium hæmorrhagia. Cæterùm tres primas voces hujus sententiæ multi unâ voce legunt αἱμαλοφλοισβοισάσιες, quod idem sonat.

XLVII.

Τὴν ὀδυνώδη πλευρὴν, εἴτε κατ' ἀρχὰς γένηται, εἴτε ἐς ὕστερον, θερμάσμασι μὴν πρῶτον ἐπὶ δὲ τρόπῳ δὲ χρησάμενον πειρηθῆναι διαλύσαι. De diæt. in acut.

Dolorem lateris sive ab initio morbi, sive postea accidat, fomentis calidis tentare dissolvere absurdum non est.

Si enim à flatibus oriatur dolor, fomento calido quiescet ac evanescet: sin minùs ab affluente humore procedat, mitigabitur tamen resoluto partim, & fluidiori reddito sanguine, ne coagulatus majorem pariat inflammationem.

XLVIII.

Ibid. Θερμασμάτων δὲ κράτιστον μὲν ὕδωρ θερμὸν ἐν ἀσκῷ, ἢ ἐν κύστῃ, ἢ σπόγγῳ μαλθακὸς μέγας ἐξ ὕδατος θερμοῦ ἐκπεπιεσμένῳ.

Fomentorum autem istorum optimum est aqua calida in utre vel vesicâ; aut spongia mollis & magna ex aquâ calidâ expressa.

Fotus, inquit Fernelius lib. 3. meth. med. *suo tepore ac vapore per spongiam, partem quamvis blandè concalefacit, nativúmque ejus calorem erigit ac suscitat, humores qui ei præter naturam insident & impacti consopitíque sunt excitat, emollit, attenuat, colliquat, fluxiléque red-

dit, ut facilè ſequantur quocunque medicamentum trahet. Hoc quidem præparationis genus diuturnis eſt affectibus accommodatiſſimum, quod tamen & Hippocrates acuti morbi, ut pleuritidis, initio uſurpavit, neque calorem veritus, neque fluxionem novam.

XLIX.

Πυρίη ὴ ξηρὴ, ἅλες, κέγχρος πεφρυγμένος ἐν εἰρινέοισι μαρσιππίοισιν ἐπίηδειότατοι· λύει ὴ μάλθαξις ἡ τοιήδε καὶ πρὸς κληῖδας παραφύσας ἀλγηδόνας. Ibid.

Fomentum verò ſiccum, ſal aut milium torrefactum in ſaculis laneis maximè uſui eſſe poſſunt. Tales enim fotus dolores etiam ad claviculas pertingentes ſolvunt.

Hæcce fomenta adhucdum apud vulgus magno ſunt in uſu. Decrepitatur aut torretur ſal, & calidum in ſacculo lateri applicatur : pariter & milium torrefactum aut cineres calidi, à quibus dolor ſedatur ; præci-

puè si à flatu procedat; imò & aliquando ab iis sanguis in latere coagulatus pleuritidem accersens dissolvitur.

L.

Ibid. Ἢν ὃ μὴ λύηι πρὸς τὰ θερμάσματα ὁ πόνος, ὐ χρὴ πολιὼ χρόνον θερμαίνειν, καὶ γὰρ ξηραντικὸν τὸ πλεύμονος καὶ ἐμπυητικὸν τοῦτό ἐστι· ἀλλὰ τάμνειν χρὴ ἐν τῷ ἀγκῶνι φλέβα, καὶ συχνὸν ἀφαιρέειν τὸ αἷμα ἕως ἂν ἐρυθρότερον πολλῷ ῥυῇ, ἢ ἀντὶ καθαροῦ πέλιον.

Si verò ad fomenta dolor non solvatur, non diu calefaciendum est; id enim pulmonem exsiccat & pus promovet: sed in cubito venam secare oportet, & copiosum sanguinem detrahere, donec multò rubicundior fluat, aut pro puro lividus.

Coloris enim mutatio, inquit Galen. in hunc loc. *sanguinis ex parte inflammata evacuationem indicat: sed cùm interdum vires tantùm vacuare prohibeant, parti ipsi qua*

phlegmone obſeſſa eſt, ex hoc remedij genere minùs auxilij tunc expectandum eſt.

L I.

Θεραπεύειν χρὴ τὰς πλευρίτιδας ὡς τὴν φρενίτιν καὶ περιπλευμονίην; πλὴν λιτροῖσι χρῆσθαι θερμοῖσι καὶ οἴνοισι γλυκέσιν. De morb. l. 3.

Curandæ ſunt pleuritides eodem modo ac phrenitis & peripneumonia, niſi quòd balneis calidis & vino dulci utendum.

Hi morbi iiſdem curantur præſidiis, quia ab eadem cauſa oriuntur, ſanguine ſcilicet ebulliente & inflammationem in parte qua decumbit pariente, cerebro, pleurâ aut pulmone. Balneum autem quod in pleuritide uſurpabant antiqui ad dolorem minuendum & thoracem relaxandum, & vinum dulce quod ad expectorationem permittebant, minùs in peripneumonia & phrenitide conveniunt, quia febris & debilitas majo-

res ſunt quàm in pleuritide, & vinum delirantibus toxicum.

LII.

De morb. l. 3.

Τὴν περιπλευμονίην ὧδε χρὴ θεραπεύειν· τὰς πρώτας ἡμέρας, τὰ ῥοφήματα ἔστω γλυκύτερα, τεταρταίοισι, πεμπταίοισι καὶ ἑκταίοισι, μηκέτι γλυκύτερα, ἀλλὰ λιπαρά· ἢν δὲ μὴ δυνηθῇ κατὰ λόγον πτύειν, ἀναγόντων φαρμάκων διδόναι.

Peripneumoniam hoc modo curare oportet: primis diebus ſorbitiones dulciores eſſe debent, quarto, quinto & ſexto non ampliùs dulces, ſed pingues. Quòd ſi ſufficienter ſpuere nequeat, vomitoria medicamenta exhibenda.

Cùm Peripneumonia docente divino noſtro Sene in Aphor. præcedentis tertiæ Sectionis, ſæpè ex vini ingurgitatione & ciborum ingluvie oriatur, non mirum ſi ei conveniant aliquando emetica, quæ potenter crudos humores ad pulmonem af-

fluentes revellunt & vacuant: præſertim ubi æger ſufficienter ſpuere nequit. Quæ quidem curandi methodus etſi à multis meticuloſis Medicis reformidata, ratione & experientiâ nititur: fuítque olim uſurpata à celeberrimo practico D. de Lorme qui ad centeſimum annum vixit. Is enim in pleuritide & peripneumoniâ crocum metallorum exhibebat & deſperatos multos curabat. Ita narrat Poterius uſitatam eſſe ruſticorum Occitaniæ praxim in pleuritide, vitriolum album in aqua ſolutum ſumere, quo vomitus provocetur: & mihimet praxim exercenti non defuit ſucceſſus.

LIII.

Ἐν τῇσι περιπλευμονίῃσι δεῖ ἡ κάτω κοιλίλω μήτε ἐφάναι λίλω, ἵνα μὴ ὀξέες ἔωσιν οἱ πυρετοὶ: μήτε λίλω ὑποχωρέειν, ἵνα τὸ σίαλον ἀνιέναι δυνῆ, καὶ ἰσχύῃ ὁ κάμνων. Ibid.

In peripneumoniis inferior alvus nec nimis ſiſtenda, ne febres augeantur; nec nimis

ſolvenda, ut ſputum rectè excernatur, ægérque viribus valeat.

Egregius ad praxim Aphor. febris enim augetur excrementorum putredinoſorum retentione, & ſputum cohibetur nimio laxantium uſu, debilitato ſcilicet ægro & contrario anacatharſi motu inſtituto.

LIV.

De diæt. in acut. Περιπλεύμονίης ἐκλειπτὸν χαλβάνη καὶ κόκκαλος ἐν μέλιτι Ἀττικῷ.

Peripneumoniæ eclegma utile, galbanum & nux pinea cum melle Attico.

Commendat Plinius mel in peripneumonicis & pleuriticis, ut & nuces pineas in ſanguinis excreatione. Simile eclegma præſcribit hæmoptoico Æſculapij oraculum, in marmore Gruteriano; ΑΙΜΑ ΑΝΑΦΕΡΟΝΤΙ ΙΟΥΛΙΑΝΩ ΑΦΗΛΠΙΣΜΕΝΩ ΤΥΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΥ ΕΧΡΗΣΜΑΤΙΣΕΝ Ο ΘΕΟΣ ΗΛΘΕΙΝ ΚΑΙ ΕΚ-

ΤΟΥ ΤΡΙΒΩΜΟΥ ΑΡΑΙ ΚΟΚΚΟΥΣ ΣΤΡΟΒΙΛΟΥ ΚΑΙ ΦΑΓΕΙΝ ΜΕΤΑ ΜΕΛΙΤΟΣ ΕΠΙ ΤΡΕΙΣ ΗΜΕΡΑΣ, &c. Id eſt, *Sanguinem expuenti Iuliano & ab omnibus deſperato, ex oraculo reſpondit Deus, veniret & ex altari ſumeret nucleos pini, & comederet unà cum melle per tres dies, & convaluit, & veniens publicè grātias egit, praſente populo.* Varro teſte Plinio putabat Hippocratem exſcripſiſſe ex Templo Æſculapij remedia quibus ægri liberati fuerant oraculi monitu, quæ inibi in tabellis appendere ſolebant, & poſtea celebri hocce Templo combuſto, Medicinam quæ Clinice vocatur inſtituiſſe, & hæcce remedia ſcriptis promulgaſſe, quorum quidem exemplum heic unum videre eſt.

L V.

Τὺς ἐμπύους διαχωρητικοῖσι χρῆσθαι, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἡ ἀρχὴ τὺ νοσήματος μηκέτι ᾖ, ἐπανάπαυσιν ποιέεσθαι τῆς βήχα ποιέειν. De locis in hom.

Empyicis cibos alvum laxantes dare oportet, & ubi prin-

cipium morbi non ampliùs fuerit excreationem promovere & tussim excitare.

Pus in pectore collectum in principiis aliquando per alvum vacuatur, at quâ viâ ignoratur, vias enim Medicis invias reperit αὐτοδίδακτος natura. Tentandum igitur initio alvum laxantibus ægrum sublevare. At ubi hanc spem abjecimus, confugiendum ad ea quæ excreationem promovent: brevissima enim hæc via est qua pectus exonerari possit: tum etiam ad ea quæ tussim excitant, ut insurgant ad expectorationem partes thoracicæ. Utramque indicationem adimplet oxymel, quod ratione mellis vias emollit & sputum educit, ratione aceti pulmones titillat & tussim excitat.

LVI.

De Morb. l. 2. Ὅταν νοθιὰς φθίσις ἔχῃ φάρμακον δ' ἔναι πίναι ἄνω καὶ κάτω, καὶ μεταπίσας ὄρρὸν, ἢ γάλα ὄνειον, ῥόειον ἢ τεσσαράκοντα ἡμέρας.

Si tabes dorsalis detinuerit

pharmacum ſuprà, dein infrà purgans propinato, poſtea ſerum lactis aut lac aſininum, tandémque vaccinum per quadraginta dies.

Quatuor ab Hippocrate proponuntur Tabis dorſalis ſpecies, prima 2. de morb. ex immodica venere ſpiritus coctionibus dicatos depopulante, & alimentum partibus ſubripiente. Secunda lib. de int. affect. à copia ſanguinis medullam ſpinalem obruente, & ſuffocante calorem nativum, qua liberatum teſtatur fuiſſe virum in Oeneade, qui cùm quotidie contabeſceret; miſſo uſque ad animi deliquium ſanguine convaluit, neoteriſmum & epanarthroſim in phlebotomia inveniens. Tertia ſpecies eodem loco proponitur ab Hippocrate, procedens à reſiccatione ſpinalis medullæ, quod quidem vel obſtructione ipſius medullæ, vel arteriarum quæ ad illam tendunt contingere poteſt. Quartam denique deſcribit Hippocrates tabis dorſalis

ſpeciem à diſtillatione à capite in medullam ſpinalem, libro de locis in homine. In hoc autem Aphoriſmo loquitur Hippocrates de prima tabis dorſalis ſpecie quæ recenter ſponſis libidini deditis non rarò accidit. In hac itaque quoniam exhauſtis ſpiritibus & depopulato calore nativo multa ſuppetunt excrementa, primò quidem corpus nitidum reddere ſatagit tum ἄνω tum κάτω vacuantibus, at revera poſſemus ab emeticis abſtinere, neque enim frequens apud nos adeò emeticis uſus ac Hippocratis tempore, neque mollia hujuſce ſæculi corpora hutic ferendo æquè paria. Sed ex mente Hippocratis colligere poſſumus ſedulò eſſe purgandum in hoc morbo, priuſquam ad alia tranſitus fiat, non obſtante maraſmo; deinde ſerum lactis ad refrigerium toti corpori conciliandum convenit, tum lac aſininum quod refrigerat & reficit, ſícque accuratè præparatis viis bubulo lacti per 40. dies locus datur, aſſuetum enim lactis & lacti aſinino corpus, lac bubulum deinde faciliùs admittit.

LVII.

LVII.

Ἄδιψον σωέχειν στόμα, σιγᾶν, ἄνεμον ξυὼ πῷ ποτῷ ψυχρὸν εἰσάγειν. Epid. 6.

Sitim prohibet os claudere, tacere, auram cum potu frigidam introducere.

Provida natura, ne ex diſſipabili ſubſtantia conflatum animal brevi periret, dedit ipſi ciborum appetitum ſeu famem, cujus inſtinctu & gulæ illecebris ad capeſſendum invitatur alimentum. Sed quoniam in ſtomacho alimentaris hæc maſſa ſine menſtruo vix poterat diſſolvi, vel diſſoluta ulteriùs permeare, cunctis proſpiciens natura dedit & ſitim animali, appetitum ſcilicet frigidi & humidi, cujus ſtimulis incitatum animal quærit pro ſolatio potum, qui poſtmodum fit ὄχημα τροφῆς, & hoc quidem ex naturali lege. Sæpius autem vi morbi coacta ſuis à legibus natura deflectit, & ſitis fit intenſior, non ſolùm potu liberaliori extinguenda, ſed aliis etiam artibus fallenda. Os claudat qui

multùm ſitit, quoniam os patulum ab aëre brevi ſiccum fieri docent ratio & experientia; & à ſiccitate ſitis intenditur. Taceat tum eâdem de cauſa, tum quia qui loquitur incaleſcit, & calore omnis humor qui demulcere ſitim poterat abſumitur. Auram quoque, id eſt aërem frigidum unà cum potu admittat. Sed dubium hîc eſſe poteſt, num per hæc verba potum ſub dio refrigeratum intelligat Hippocrat. Solebant enim antiqui potum non glacie, aut nive refrigerare, ſed aëri frigido & ſerotino exponere: ſed quidquid ſit, utrumque convenit, ſitiens ſcilicet commodè poteſt auram frigidam inter potandum captare, & potu arte refrigerato uti.

LVIII.

Ibid. Ἢν καρδιώσῃ θερμὸν ἄρτον μετ' οἴνου ἀκράτου διδόναι.

Cardialgiam meracum vinum cum pane exhibitum ſedat.

Multa facere poſſunt cardialgiam, ſed inprimis ſpirituum diſſipatio, cùm enim cor muſculus ſit, & muſculi non niſi per animalis ſpiritus influxum moveantur, ſanè ſi ſpiritus deficiant non movebitur cor; ceſſante motu, ventriculi ipſius ſanguine gravabuntur, hinc cardialgia, cui vinum meracum ſpiritibus refertum medetur optimè, præſertim ſi cum pane exhibeatur: eſt enim panis alimentum πολύτροφον, adde quòd panis vino madidus meliùs ab omnibus oris partibus comprimitur quàm vinum ſolum, & hac compreſſione, immediatè nervorum ductu vini ſpiritus poſſunt ad cor deferri, quod tardiùs ſuccedit ubi vinum ſolum, ab oris partibus cunctis non ita arctè ſtringendum propinatur.

LIX.

Πρὸς καῦσον καὶ λοιπὸν πυρετὸν, ὕδωρ ὑράνιον αὐτὸ καθ' αὑτό. De morb. lib. 3.

Ad cauſum aliámque febrem, aqua cæleſtis per ſe ſola exhibita prodeſt.

Ubi nulla aut levis adeſt maſſæ ſanguineæ putredo, aquæ potus ſatis copioſus febri expugnandæ utilis eſt, cùm incenſos ſpiritus quaſi extinguat, præcipuéque cæleſtis quæ levis & limpida facilè viſcera permeat. Hîc notanda venit obſervatio inter Riverianas. *Retulit mihi D. Chomel ſe omnes propemodum tertianas curare ſolitum, exhibendo ante acceſſionem bonum hauſtum decocti chamæmeli & cremoris tartari, & ſtatim ab aſſumpto remedio ſanguinem detrahendo; ſi non ſit ad manus, aquæ frigidæ cyathum exhibet, & idem ferè ſuccedit effectus. Putat aquam illam aſſumptam per phlebotomiam ad venas rapi, & materiam ebullitioni proximam diluere, unde acceſſio impeditur.*

LX.

Ibid. Πάντα δ᾽ τῷ πυρέσσοντι ἠθριασμένα δίδου, πλὴν οἴσιν αἱ κοιλίαι μᾶλλον τοῦ δέοντος ῥέουσιν.

Omnia autem nocturno ſereno expoſita febricitanti exhi-

bero, iis exceptis quibus alvus plus æquo eſt fluida.

Hic erat modus Hippocratis & antiquorum, ut ſuprà innuimus, potum & alia alimenta refrigerandi, nocturno ſereno exponendo, poſtmodum die accedente obvolvendo & in loco frigido reponendo, ut peculiari libello de uſu frigidi, glaciei & nivis oſtendit Collega noſter Clariſſ. Petrus Barrá. Innotuiſſe enim Hippocrati modum, glacie aut nive aquam refrigerandi vix credibile, ſiquidem Plinio teſte, *Neronis Principis inventum eſt, decoquere aquam vitróque demiſſam in nives refrigerare.* Id tamen aſſerit Reſtaurantius libello Gallico cui titulus, *Hippocrates de uſu glaciei*: in quo ſanè oſtendit Hippocratem potum frigidiſſimum præſcripſiſſe ſæpius, ſed glacie aut nive refrigeratum convincere non potuit.

LXI.

Ἢν τριταίῳ πυρετὸς ἔχῃ, ἢ μᾶλλον ἢν μὴ παρεὶς τρεῖς λήψιας τῇ τετάρτῃ λάμ- De morb. l. 2.

βῃ, φάρμακον πίσαι κάτω: ἰῶ ἢ δι δοκέῃ φαρμάκου μὴ δεῖσθαι, τρίψας τῆς πενταφύλλου τῆς ῥιζῶν, ὅσον ὀξύβαφον ἐν ὕδατι δοῦναι πιεῖν.

Si tertiana febris detineat, ſiquidem poſt tres paroxyſmos quartus prehendat, purgans per inferiora propinato: quòd ſi purgante non egere tibi videatur, pentaphylli radices, acetabuli quantitate in aqua tritas bibendas dato.

Pentaphyllum nonnihil ſtypticum eſt. Styptica autem utplurimùm ſunt febrifuga, eo quòd materiam fermenteſcibilem quaſi irretiant ac figant, partiúmque fibras adſtrictione ſuâ roborent, ut expellendæ cauſæ morbificæ aptiores ſint. Scio ruſticos quoſdam pentaphylli decocto febres curare, ſic ab avis atavíſque edoctos, non ſecus ac Hippocratis ætate à parentibus in poſteros multa εὐπόριστα per manus quaſi tradebantur. Verumtamen quia hujuſce plan-

tæ nondum ſatis expertus ſum vires, plura dicere ſuperſedeo. Id duntaxat notabo, Borellum obſervat. 32. cent. 1. aſſerere affinem quendam ſuum innumeros febricitantes pericarpiis ex pentaphylli foliis & ſale communi compoſitis curaſſe. Fallitur autem Plinius, qui pentaphyllum ſeu quinquefolium cum Fragaria confundit.

LXII.

Ἢ ἢν μηδὲ ἐν τούτῳ παύηται, λούσας αὐτὸν πολλῷ θερμῷ, πίσαι τὸ τρίφυλλον καὶ ὀπὸν σιλφίου ἐν οἴνῳ ἰσοπρεσίῃ, καὶ κατακλίνας ἐπιβαλέειν ἱμάτια ἕως ἱδρώσῃ. Ibid.

Si verò ne ſic quidem ſedetur, ubi multâ calidâ laverit, trifolium & ſilphij ſuccum cum vino pari aquâ admixtâ, propinato: reclinatúmque ſtragulis donec ſudet contegito.

Ergo hocce febrifugum ſuperiori potentius eſt. At quid ad nos, inquiet aliquis, ſi ignotus nobis ſit ſilphij ſuccus? Reſpondeo, non planè inco-

gnitum nobis eſſe. Si enim Dioſcoridem aliósque antiquos conſulamus Autores, videbimus ſilphium nihil aliud eſſe quàm Laſerpitij ſuccum, cujus Laſerpitij ſive Laſeris *caulis* ex quo ſuccus extrahebatur & ipſe *Silphium* vocabatur, radix verò *Magudaris* & folia *Maſpeton*. Erat autem planta ferulacea foliis apio ſimilis: naſcebatúrque in Syria, Armenia, Media, & Lybia: ſed Laſerpitium Cyrenaicum omnibus præſtabat blandiſſimo odore, ut Medicum, Syriacúmque graviori & magis viroſo pollebant. Inde fiebat ut Provincia Cyrenaïca hacce præſtantiſſimâ plantâ gaudens, eam in nummis ſuis exprimeret, ut hodiéque antiquariis notum eſt. Hac utebatur Hippocrates, ſed jam Plinius conqueritur ſuo tempore à multis annis in ea terra non inveniri, *quoniam publicani, qui paſcua conducunt, majus ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo.* Itaque ut contrahamus, ſiquidem de eo Medici duo Pariſienſes tractatus ſcripſere, ſuperſunt nobis Medicum, Sy-

riacum & Perſicum, quibus uti poſſumus Cyrenaici loco, dummodò puriora ſeligamus. Teſtantur autem Garcias ab Horto qui regiones Oriẽtales peragravit, & nuperrimus Pharmacopœæ Perſicæ interpres, hunc ſuccum nil aliud eſſe quàm *aſſam fœtidam*, cujus maximus eſt in Oriente uſus, tum in medicamentis, tum in cibis, condiendis. Extrahitur enim ex ferulacea planta, quam adhuc *Magudarim*, antiquâ voce nuncupant.

LXIII.

Ἢν ὃ τεταρταῖος λαμβάνῃ, φάρμακον διδόναι ἄνω κατ' αὐτὸν τὸν λῆψιν: διαλιπὼν ὃ κάτω δοῦναι ἕτερον ἐν αὐτῇ τῇ λήψει: ἢν ὃ πρὸς ταῦτα μὴ παύεται, δοῦναι καὶ πυρετοῦ τὰ φάρμακα. De Affect.

Si autem quartana prehenderit, ſub ipſam acceſſionem vomitorium exhibendum: rurſus aliquo intervallo, aliud infrà purgans medicamentum in ipſo paroxyſmo: quòd ſi per

hæc non ſedetur, medicamenta febrifuga dare oportet.

Superiores ventres, inquit Hippocr. Epid. 7. *in ipſis acceſſionibus purgandi, eo quòd tunc humores ſublimentur*, ſurſúmque ferantur: purgans verò etiam ineunte paroxyſmo exhibetur, ut ſic interturbetur febris motus. Emetica autem & purgantia vehementia quartanam aliquando abigunt, ubi in primis viis cauſa deliteſcit, nec copiâ aut viſciditate nimiâ peccat; alioquin inconſultò propinata ex ſimplici duplicẽ aut continuam efficiunt. Ne quis autem putet me hunc locum Hippocratis corrupiſſe, eo quòd in textu dicat ſolummodo, *medicamenta quæ ſcripta ſunt exhibenda.* At illa medicamenta vocaverat ſuprà, *ea quibus febris mutatur aut deſinit*: οἷσιν ἢ μεθίσταται ὁ πυρετὸς, ἢ ἀπολείπει: & paulò infra τοὺς πυρετοὺς τὰ φάρμακα, quòd idem eſt ac ſi *febrifuga* dicas: de eorúmque operandi modo, qui non per vacuationem fit, hæc ſubdit. *Habent autem harum febrium medi-*

camenta hanc facultatem, ut corpus in consueta caliditate & frigiditate suo loco consistat, neque præter naturam incalescat neque refrigeretur: quasi diceres istud habere hæc febrifuga, ut fermentationem quæ caloris causa est, impediant. Hæc medicamenta à Galeno & Tralliano *Lexipyreta* vocantur, quasi diceres febrem cessare faciétia: describúntque varias antidotos Lexipyretas in quibus piper, aliáque calida, attenuantia & roborantia non omittuntur. Inter illas à Galeno memoratur lib. de antidotis hæc: *Antidotus Harpali ad quartanarios, Myrrhæ ℥iiij. piper. long. ℥ij. castorii ℈iiiiß. cardamomi ℥iiij. sagapeni ℥iij. Pulverentur fiántque tabellæ ponderis ℈ij. quas per. intervalla febricitantibus porriges ex vini cyathis duobus, & aquæ cyathis quatuor: in febribus autem continuis ex hydromelite. Utilis quoque in aliarum febrium paroxysmis.*

LXIV.

Εἰ δ' ἐρράμβου ἐν πάσῃ, ἢ ἐξ ὁδοιπορίης πυρετείνας κατασῇ ἐς τεταρταῖον, De morb. l. 2.

πυρίησας αὐτὸν, σκόροδα δίδου, ἐς μέλι βάπτων· ἔπειτα ἐπιπινέτω φάκιον, μέλι καὶ ὄξος μίξας.

Si verò robuſtus ſit & ex laſſitudine aut itinere contracta ſit quartana, poſt fomenta, allium melle maceratum exhibeto, deinde lentis cremorem melle & aceto admixto ſuperbibat.

Hocce remedij genus partim emeticum eſt ob lentis cremorem, mel & acetum, quæ mixta ſtomachi ſubverſionem excitant: partim febrifugum ob allium, quod calore ſuo depravatam partium nutritiarum actionem corrigit, viſcidos humores quartanæ parentes incidit, attenuátque. Ita Græci multi, Hungari ferè omnes, imò & ruſtici noſtrates ſimili præſidio, nempe allio & pipere quartanam ſæpe fugant. Et quidem ſapienter Hippocrates hanc ſupponit conditionem, ſi æger robuſtus ſit, cùm præſidium ſit delicatulis non accommo

accommodatum. Plinius l.20.cap.6. de allio asserit ; *quartanas quoque excutere potum caput unum cum Laserpitij obolo in vino austero.* Affinia autem valde sunt allium & Laserpitium. Istud enim quod assam fœtidam esse diximus allium penitus olet, nec minùs acre est : unde iisdem morbis utrumque sæpè præscribit Hippocrates , & nonnunquam simul juncta. Sic lib. de superfœtatione mulieri ad abortum præcavendum , *in cibo sumat allia quamplurima & Laseris caulem.*

LXV.

Τὰς ἀναστάσεις τῶν πυρετῶν ἐᾶν, μέχρις ἂν καταστῶσιν. De diæt. in acut.

Inconstantes febres sinere oportet donec consistant.

Inconstantes febres eæ sunt in quibus nihil constans , quietúmque existit : urinæ manè tenues, post meridiem crassæ, sub vesperam alio modo se habentes : paroxysmi modò plures, modò pauciores , nullâ statâ

horâ recurrentes : omniáque morbi phænomena à ſe ipſis ſemper diſſidentia. Has itaque febres, donec de natura morbi, ipſiúſque typo conſtet ampliùs, ſinere expedit, id eſt ſine præſidiis relinquere, ne fortè quid ſiniſtri moliamur. Neque enim niſi probè perſpectâ morbi naturâ poteſt Medicus aliquid æqui boníque conſulere. At verò ut ſuperiùs docebat Hippocrates initio hujus Sectionis, *Duo in arte præſtanda ſunt, adjuvare aut ſaltem non nocere.* Quoniam itaque adjuvare non poſſumus, ne noceamus, ſinere iſtas febres oportet donec conſiſtant : ubi verò conſtiterint victu & curatione convenienti pugnare.

LXVI.

De morb. mul. l. 2. Ἢν ἡ καρδίη πνίγῃ ὑπὸ ὑστέρης, δεῖ τὸ κάρπον τοῦ ἄγνου καὶ γλυκυσίδης ἐν οἴνῳ πίνειν, ἢ ἀβρότονον ἢ πάνακες, καὶ ἀμμωνιακὸν, ἢ πήγανον, ἢ ὑπνωτικὸν μηκώνιον.

Si cor ab utero ſuffocetur, viticis & pæoniæ ſemen ex vi-

no propinato, aut abrotanum, & panaces, & ammoniacum, rutámve, aut ſomniferum meconium.

Rectè talia hyſterica in vino exhibet ad majorem penetrationem, diſſipationémque; rectiſſiméque efferos humores capitis & thoracis nervos vellicantes, opio quaſi ſacro nepenthe, placare ſtudet: *Quæ enim*, inquiebat ſuprà, *ſomnum conciliant, ea ſanguinem quietiorem reddunt.* Niſi ergo adſit in ſomnum propenſio, laudanum aut quodvis aliud narcoticum, poſt alia leviora tentata uſurpari poteſt.

LXVII.

Ὁκόταν πνίγωσιν αἱ ὑστέραι ὑποθυμιῆν χρὴ τὰ ναπώδεα πάντα, ἤγουν ἄσφαλον, θεῖον, κέρας, ἐλλύχνιον, φώκης ἔλαιον, καστόριον: ὑπὸ δὲ τὰ αἰδοῖα τὰ εὐώδεα. Ibid.

In uteri ſuffocatione graveolentia omnia in ſuffitu naribus

offerenda, bitumen scilicet, sulphur, cornu, lucernæ funiculus, vituli marini adeps, castorium: pudendis verò suaveolentia.

Graveolentia partibus suis volatilibus causam morbificam uteri suffocationem parientem, quæcunque illa sit, attenuant & dissipant; tum etiam ob molestiam quam sensui olfactûs afferunt, naturam excitant ad expulsionem. Inter illa proponit asphaltum, quale est bitumen Iudaïcum, petroleum, aut nigrum bitumen quod in Arvernia ad urbem Monferrand è terra exsudat. Subjungit sulphur, incensum scilicet, mediocri quantitate hystericum optimum: cornu pariter incensum, lucernæ funiculum, Phocæ sive vituli marini adipem, cujus usus nobis nunc ignotus est, & tandem castorium. Quare verò suaveolentia hystericos motus naribus apposita excitent, & tamen ad umbilicum aut uteri partes externas applicata juvent, nimis longum foret

diſquirere, & mihi fortè nimis arduum. Ad praxim ſufficit ut non ignoremus hæc ita contingere, Phyſicis intricatas illas quæſtiones de effectuum cauſa relinquendo, quæ curationi promovendæ nihil conferunt, & tamen animum non parum torquent.

LXVIII.

Ἢν κύουσα, οἰδέῃ κνίδης καρπὸν ὡς πλεῖστον, καὶ μέλι, καὶ οἶνον κεκραμένον εὐώδεα διδόναι πότον δὶς τῆς ἡμέρης. De morb. mul.

Si prægnans intumeſcat, urticæ ſemen quamplurimum cum melle & vino odorato aquâ temperato bis in die in potu exhibendum.

Urtica diuretica eſt, ideóque prægnantium tumoribus ex retenta copioſiori lympha admodum utilis, cui mel & vinum odoratum per ſe etiam diuretica, vehiculi vicem præſtant.

LXIX.

Ἢν ἡ κύουσα πολλὼ χρόνον ἐπέχῃ Ibid.

κὴ μὴ δ'ωώῃ τικεῖν, ἀλλ' ὠδίνῃ πλείας ἡμέρας, νέη ὃ ἢ καὶ ἀκμάζῃ & πελύαιμος, τάμνειν χρὴ τὰς ἐν τοῖσι σφυροῖσι φλέβας.

Si prægnans diutiùs moretur & parere nequeat, ſed pluribus diebus partûs doloribus crucietur, ſit autem juvenis & ætate florens, & ſanguine abundans, venas in malleolis ſecare oportet.

In juniori muliere & polyhæma partu accedente aliquando ita diſtenduntur vaſa in utero, ut exitûs viam fœtui præcludant, coarctato à venarum diſtenſione interno uteri orificio, quo in caſu venæ ſectio ex malleolis non parùm juvat, cùm ipſamet vaſa depleat & derivationem faciat.

LXX.

Ibid. Ἢν ἢ ἐν τόκῳ ἕσα ξηρὴ καὶ δύσκιμος, ἔλαιον πίνειν καὶ καταίνειν τὰ χωρία. ἔλαιον θερμὸν μαλάσσει. ὕδωρ κωλύει.

ὑγρῇ διαχρίειν, καὶ ἔγχυλον χλιαρὸς ἄλειφα ξυὶ ἐλαίῳ.

Si quæ adhuc in partu eſt ſicca fuerit, nec niſi ægrè humectetur, oleum bibendum, & loci oleo calido & malvæ decocto calido fovendi, & cerato liquido illinendi, adipe etiam anſerino cum oleo infuſo.

Hæc omnia vias humectant & lubrificant, quò faciliùs dilatari queant ad fœtûs exclusionem.

LXXI.

Λοχείας ἐὰν θέλῃς καθαίρειν, μαράθρου καρπὸν καὶ ῥήθυος τὸ φλοιὸν, καὶ λιβανωτὸν ἐν οἴνῳ διδόναι πίνειν, ἢ λινοζώστου τὸ καρπὸν καὶ τὰ φύλλα. Ibid.

Lochia ſi velis purgare, fœniculi ſemen & crethmi corticem, & thus, vel mercurialis ſemen & folia ex vino propinato.

Si lochia retenta ſint, remediis calidis & attenuantibus eorum expulſio tentanda, quod propoſitis hiſce præſidiis pollicetur Author, mulierum proculdubio experientiâ edoctus.

LXXII.

De morb. mul. l. 1. Μαλθακὰ ὑφ' ὧν καθαίρει ὕδωρ καὶ ψάμμος, καὶ ἀγῇ ἐπιμηνία, ἢν μὴ πολυχρόνια ᾖ.

Emollientia ex quibus aqua & arena purgatur, menſes etiam movent; niſi à longo tempore ſubſtiterint.

Diuretica medicamenta menſes etiam movent, veluti urtica, alkekengi, rubia tinctorum, &c. quia glutinoſos humores è quibus arena coagmentatur & ſeri expurgatio per renes obſtructâ viâ impeditur, & à quibus etiam menſes retinentur, incidunt, attenuant & fluidiores reddunt. Ubi tamen diutiùs ſubſtitere menſes, concidunt & exſiccantur uteri vaſa, ut ampliùs per ea nequeat fluere ſanguis.

LXXIII.

Ἢν αἱ μῆτραι προσέχωσι, πλυνίψας αὐτὰς ἐν ὕδατι χλιαρῷ, καὶ ἀλείψας ἐλαίῳ καὶ οἴνῳ πάλιν ἐνθεῖναι, καὶ ἀναδῆσαι ἐκ τῆς ἰξύων, καὶ ὑποθυμιᾶν τὰ κακώδεα. De nat. mul.

Si uterus prolabatur, illum tepidâ lotum, oleo & vino illitum rursus intromittito, ex lumbis religato, & graveolentia suffito.

Uterus relaxatus & prolapsus citò in suum locum reponi debet, ne aëris occursu gangrænâ afficiatur: útque celeriùs intromittatur oleo & vino illitum lubrificari jubet, deinde ne iterum decidat, pessario vel splenio duplicato retentum, fasciâ ad lumbos revinctâ religari vult; & graveolentia in suffitu supponi: quemadmodum enim ad suaveolentia uterus quasi relaxatus accedit, ita ad graveolentia quasi abhorrens retrocedit.

LXXIV.

Ibid. Ἢν ῥόος ἐγχύμων καρκίνους ποταμίους ἀποπνίξας ἐν οἴνῳ, τὸν οἶνον διδόναι πίνειν, καὶ ἐπιθυμιᾶν ὅσα ξηραίνει καὶ προσιβέναι, καὶ τοῖσι ξηροῖσι, καὶ τοῖσι στυφνοῖσι χρᾶσθαι.

Si fluor muliebris oboriatur, cancris fluviatilibus ex vino ſuffocatis, vinum potui exhibeto, quæque ſiccant in ſuffitu & peſſo apponito, ſiccíſque & acerbis utatur.

Fluor muliebris ut plurimùm oritur à ſanguine ob nimiam ſeri copiam fluidiori facto; unde diuretica medicamenta quæ ſerum per urinarias vias expurgant, qualia ſunt cancri fluviatiles, & ea quæ exſiccant & adſtringunt, ut ſunt ſuffitus & ciborum acerborum uſus, utilia ad hujus morbi curationem eſſe debent.

LXXV.

De morb. mul. l. 2. Ἢν ῥόος λύνος ἔχῃ, τὰ ὑρηΐνα ταμ-

τῇσι ξυμφέρει, καὶ κεφαλῆς καθάρσιες, καὶ ἀλύσιαι, καὶ τὸ λευκὸν ἐπίθυμον πίνειν, καὶ περίπατοι, καὶ πᾶσα ξηρασίη ἐν τῇ διαίτῃ.

Si fluor albus detineat, hiſce conveniunt diuretica, capitis purgationes, balnei abſtinentia, epithymum album epotum, ambulationes, & omnis diæta exſiccans.

Fluori albo pariter ac cæteris fluoribus diuretica conveniunt, quia in eo lymphæ ac ſeri acris copia adeſt: capitis purgationes quæ per ſternutatoria & maſticatoria fiebant, quoniam illa aliquid lymphæ vacuant, & impediunt quominus cumuletur: balnei abſtinentia quo ſanguis fluidior redderetur & vaſa aperirentur: epithymum album utpote hydragogum: ambulationes & diæta exſiccans, quia totum corpus ſcatens pravis humoribus, moderato motu & victu exſiccante liberari poſtulat.

LXXVI.

De Affect. Τῇ χολέρῃ ξυμφέρει, ἢν μὲν ὀδυνὴ ἔχῃ, τὰ ἀνώδυνα, τὴν τε κοιλίην θεραπεύειν τὴν ἄνω καὶ τὴν κάτω διυγραίνοντα πόμασι.

Choleræ morbo conferunt, ſiquidem dolor adſit, anodyna: venter autem ſuperior, tum inferior potionibus humectantibus curandus.

Hæc eſt methodus ab eruditiſſimo Anglo Thoma Sidenham uſurpata. Hic enim pullum gallinaceum in tribus aquæ menſuris elixat; adeò ut carnis vix perceptibilem ſaporem habeat. Hujus decocti capaciores aliquot cyathos ægro propinat, & ex eodem clyſteres frequentes præcipit: quibus ſubinde ſyrupos portulacæ aut nympheæ admiſcet: ſícque ventriculo inſigni liquoris quantitate quaſi ſubverſo, & inteſtinis enematum ope elutriatis, humores acres vel foras eliminantur, vel retusâ acrimoniâ ad debitam temperiem revocantur:

vocantur : quo exantlato eluvionis penſo narcotica exhibet, quæ verè anodyna ſunt, at periculoſa ſi initio porrigantur. Eadémque methodo ægrum graviter cholerâ morbo laborantem nuper intra aliquot horas curavi, ſed juſculo illo confecto ex libra una carnis vitulinæ in aquæ quatuor menſuris elixata, quod eundem ſortitum eſt effectum.

LXXVII.

Τὸν ἴκτερον ὧδε χρὴ θεραπεύειν, πλὼ κοιλίλεω διυγραίνειν, καὶ τὴν κύστιν, καὶ τὰ διεξοδικὰ διδόναι. Ibid.

Icterum hoc modo curare oportet, alvum & veſicam humectare, & diuretica præbere.

Ideóque commendantur à Galeno inter icterica præſidia, adiantum, ciceres, cynorrhodon, rubiæ radix, ſimiliáque diuretica. Et in hodierna praxi feliciter utimur juſculis rubris ex diureticis paratis, decoctis filicis, rubiæ tinctorum, aliorúmque ſimilium. In hoc enim morbo ad-

ſunt obſtructiones à viſcidis humoribus, quæ feliciter hiſce remediis aperiuntur.

LXXVIII.

Ibid. Εἰλεὸς ὅταν λάβῃ, τοῦτον χρὴ δι᾽υγραίνειν καὶ ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, λούειν ὑπὸ πολλῷ καὶ θερμῷ, καὶ πίνειν ὅσα τὴν κοιλίην κινέει, καὶ τὸ οὖρον ὑπάγει, καὶ ὑποκλύζειν.

Cùm volvulus corripuerit, hunc intus & extra humectare, & multâ calidâ lavare, bibere quæ alvum & urinam movent, & clyſteres infundere oportet.

Sive oriatur Ileus ex inflammatione inteſtinorum à materia acri irritatorum, ſive ab excrementis induratis & viam obſtruentibus, ut accidit in bubonocele, prompta humectatio maximè conferet; balnea, ſemicupia, potus frequens & multus, clyſteres frequentes quibus diluitur materia acris aut indurata, quibúſque lubrica fit inteſtinorum via.

LXXIX.

Ἢν εἰλεὸς ἰκτερώδης ἔχῃ, δίδοναι τὸ ἀπ' ἐρεβίνθων λευκῶν ὕδωρ ἑψῶν πίνειν, καὶ ἐν τῷ οἴνῳ διακιρνᾶν, καὶ πλὴν κεφαλλὴν αὐτὴν καθαίρειν τῷ τετραγώνῳ. De int. affect.

Si convolvulus ictericius accidat, cicerum alborum decoctum potui exhibendum vino permistum, & caput purgandum tetragono.

Antimonium fuisse ab Hippocrate usurpatum asserere ausi sunt Chymici initio hujus sæculi, cùm stibium Parisiis magnas turbas excitaret: *tetragonúmque*, cujus hîc mentio, nil aliud esse quàm stibium, quod Græci στίμμι vocabant, *quódque ustum*, inquiebat Gorræus, *formabatur in pastillos, quibus quia fortè Hippocratis tempore erat quadrata tesserarum figura, ipse stibium* τετράγωνον *appellat.* Ratio afferebatur, quia Galenus in exegesi vocum Hippocratis hæc habet: τετραλόγῳ [τινὲς μὲν τὴν εὐρισκομένην καὶ τὸ στίμμι πλάξι: τινὲς δὲ αὐτὸ τὸ στίμμι: Id est, Tetragono]

Quidam, putant esse crustas quæ circa stibium reperiuntur, quidam etiam ipsum stibium. At contrà insurrexit Savotius, qui peculiari & erudito libello *de Tetragono Hippocr.* inscripto, ostendit capitis purgationem ab Hippocrate celebratam fuisse per errhina & sternutatoria, nequaquam per interna purgantia aut emetica: quod adductis multis textibus evincit. Itáque *Tetragonum* Hippocratis nil aliud videri quàm compositionem apud Ægyptios celebrem, quæ à Plutarcho *Tetragonum Cyphi* vocatur, & à nostris Pharmacopœis *Trochisci Cyphi:* quæ ideò Tetragonum vocabatur, quòd ex sedecim ingredientibus constaret: numerus autem XVI. ex quatuor quaternitatibus: ideóque verè sit quadrangulus seu *Tetragonus.* Subdit vocem illam σίμμι in Exegesi Galen. esse corruptã, legendúmq; vel σίμμα, quod Unguentariis odoris species erat, quæ nonnisi confusa & calore exsuscitata exhalat, cujus generis erant Trochisci *Cyphi*: vel fortè etiã legendũ κύφι loco σίμμι. Attamẽ supereſt difficultas, quid cru-

ſtæ illæ circa cyphi repertæ ſibi velint. Quid autem morbus ille *convolvulus ictericus* dictus, non minùs obſcurum : an complicatus ex ileo & ictero ? An icterus colicis doloribus comitatus ? Ileus enim ſumi aliquando videtur pro colica paſſione, veluti lib. de Glandulis. Cuicunque tandem ictero apprimè convenit cicerum alborum rubrorúmve decoctum, utpote aperitivum & diureticum : cujus generis ad icterum & volvulum potiones commendat, in Aphoriſmis duobus immediatè hunc præcedentibus.

LXXX.

Φροντὶς νῦσος χαλεπὴ : τοῦτον πιπίσκειν ἑλλέβορον, καὶ τὴν κεφαλὴν καθαίρειν, καὶ κάτω πίσαι φάρμακον, καὶ μὴ ταῦτα πίνειν ὄνου γάλα. De morb. l. 2.

Sollicitudo, morbus difficilis: veratrum huic propinato, & caput purgato, & purgans exhibeto, poſteáque lac aſininum.

Φροντὶς ſollicitudo, nil aliud eſſe vi-

detur quàm melancholiæ morbi ſpecies, ex nimia *ſollicitudine* & animi contentione orta, quòd ex ſymptomatis aſſidentibus ab Hippocr. enumeratis patet. *Viſcera*, inquit, *veluti ſpinarum aculeis pungi videntur, anxietudo ægrum invadit, lucem hominéſque refugit, tenebras amat, metus corripit, diaphragma extus intumeſcit, ad contactum dolet, expaveſcit, in ſomnis terriculamenta & formidanda cernit, quandoque & cadavera. Morbus hic interdum plurimos vere prehendit.* Ideóque helleborum potentiſſimum melanagogum huic exhibet, reiteratáque aliâ purgatione lactis aſinini potum, à quo ſpes eſt temperatum iri acrem atrabilariúmque humorem: ſicuti idem Hippocr. in alia melancholiæ hypochondriacæ ſpecie, quam *morbum nigrum* vocat, γαλακτοποσίαν pariter præſcribit.

LXXXI.

Epid. 6. Ὑδροπιώδεα ταλαιπωρέειν, ἱδρουῦ, ἄρτον ἐσθίειν, πίνειν μὴ πυλὺ, οἴνῳ λευκῷ, ὕπνῳ μὴ πολλῷ χρῆσθαι, καὶ φάρμακα

δῦναι ὑφ' ὧν ὕδωρ καὶ φλέγμα καθαίρεται.

Hydrope laborantem convenit exercitationibus defatigari, ſudare, panem edere, parum bibere, vino albo, nec multo ſomno uti, & purgantia aſſumere quibus aqua & phlegma vacuetur.

Ὑδέρου non una eſt ſpecies: licèt enim utplurimum à ſeroſæ illuviei copia procedat, quâ in ventrem effusâ tumet abdomen, ſítque hoc malum ſoboles depauperati ſanguinis, exhauſtorum ſpirituum & diminuti caloris, imò & aliquando ruptionis vaſorum lymphaticorum, tamen non infrequenter in praxi occurrit alia ſpecies hydropis, quæ largo potu, ſero lactis, ſanguinis miſſione feliciter tollitur: contrà verò ſolitis aliàs artibus exacerbatur. Vidimus hydropem viginti curatum venæ-ſectionibus, qui ab exhibitis hydragogis & diureticis cujuſvis generis magis ac magis intumuerat. In

hac ſiquidem ſpecie calor exuperans fundit & liquat ſanguinem, ac ferè totum in ſerum convertit; ac proinde dum diagrydiatis aut ſalibus diureticis res peragitur, morbus ingraveſcit; cedit è contrà benignioribus & refrigerantibus præſidiis. De prima itaque, non de ſecunda hydropis ſpecie intelligendus venit Hippocrates. Exercitiis enim corpus evadit magis tranſpirabile; ſudore pars materiæ morbificæ avolat; panis non ſeroſum, ſed laudabilem chylum ſuppeditat; potus abſtinentia multùm prodeſt, tum quia *creſcit indulgens ſibi dirus hydrops, nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi fugerit venis*, tum quia aucto per ſitim calore humiditates ſuperfluæ diſſipantur; nec infrequentes ſunt hiſtoriæ hydropicorum qui ſolâ potûs abſtinentiâ per annum integrum convaluere omnino. Vinum album urinas movet. Somnus humiditates auget; deinde ex contrariorum lege, quandoquidem exercitia proſunt, ſomnus immodicus noceat neceſſe eſt. Hydragoga medicamenta ſacra hujuſce morbi an-

chora ſunt, utpote è directo cauſæ ipſius oppoſita.

LXXXII.

Ἢν ὃ μὴ, ταμὼν ἀφεῖναι τ̃ ὕδατος· τέμνειν δὲ ἢ πρὸς τ̃ ὄμφαλον, ἢ ὀπισθεν κ̃ τ̃ λαγόνα· διαφεύγουσι καὶ ἐνθεῦθεν ὀλίγοι. De Affect.

Si verò medicamentis non juvetur, ſectione factâ aquam educito : fit autem ſectio vel juxta umbilicum, vel retrò juxta ilia; inde verò pauci evadunt.

Tentanda ſunt primò omnia medicamenta interna, veluti ea quæ in ſuperiori Aphoriſmo præſcribebat. At quia illa ſæpe inutilia ſunt ubi confirmatus eſt hydrops, ſi æger robuſtus ſit, & illæſa judicentur viſcera, paracenteſis locum habere poteſt, apertio nempe abdominis ſive juxta umbilicum, ſive retrò juxta ilia, quæ ultima planè obſolevit. At effugiunt pauci, tum ratione morbi, tum ratione operationis. Ratione morbi, quia ſæpe viſce-

ra læsa sunt, sive à morbi origine, sive ab aqua in abdomine effusa, quæ hepar, aliásque partes corrumpit & exulcerat. Ratione operationis, quæ olim scalpello, & hoc sæculo acu triangulari fiebat, unde ulcus incurabile & gangræna sæpe oriebatur, aut aqua simúlque spiritus citò nimis vacuabantur. Primo infortunio nullum est medicamen in hortis. Etenim ubi internas partes & præcipuè nobiles ulcus aut abscessus insedit, consultius est suo ægrum fato relinquere, quàm paracentesim experiri. Ad secundum verò, sæculum nostrum inventis fœcundum, cautelam attulit, abdomen aperiendo non scalpello acuto, aut acu triangulari, aut rotunda majori, sed acu subtili, tereti, cannulam itidem exilem subintrante, vel solâ cannulâ ex argento aut chalybe ad latera perforata, & acumen ex chalybe cannulæ ferruminatum habẽte, quibus pungitur abdomen & aqua educitur. Hoc inventum debetur Domino Thouvenot natione Gallo, primario Principum Sabaudiæ chirur-

go, qui ante triginta quinque annos hanc operationem ſæpe felici ſucceſſu executus eſt. Idem ferè proponitur & acûs figura exhibetur in Chirurgia Barbettiana, cujus Autor eam ſe vidiſſe peractam ſcribit, à Chirurgo qui Italiam frequentaverat. At malè ni fallor aliquot digitis ſub umbilico punctionem iſte exequebatur. Meliùs enim eſt vitare rectum muſculum in multis locis nervoſum, & punctionem adminiſtrare in muſculo obliquo quatuor aut quinque digitis ab umbilico. Hac operatione Lugduni his ultimis annis factâ aliquot evaſerunt aliàs deſperati, aliquot mortui ſunt poſt ſecundam aut tertiam punctionem, fortè ratione morbi: etenim ex operatione nullum ulcus fit, nulla virium diſſipatio, nec gutta ſanguinis exit. Qui de ea plura velit adeat Chirurgiam Barbettianam, & Ephemerides Eruditorum Gallicas, anni, ni fallor, 1678.

LXXXIII.

Ἐν τῷ ὑδέρῳ ἰῶ τὸ οἴδημα καθε- De Int.
ϛήκῃ ἐν τῇ ὄσχῃ καὶ τοῖσι μηροῖσι καὶ Affect.

τῆσι κνήμῃσι, καὶ ἀσχῆν χρὴ ὀξυλάτῳ μαχαιρίῳ πολλὰ πυκνὰ, καὶ ταχὺ ὑγιέα ποιήσεις.

In hydrope, ſi in ſcroto & femoribus ac tibiis tumor œdematoſus ortus fuerit, acuto ſcalpello multis & crebris vulnuſculis tundere oportet, & citò ſanabitur.

Tres ſunt hydropis ſpecies, aſcites, tympanites, & anaſarca ſeu leucophlegmatia: & licèt in his omnibus ſpeciebus ſcrotum & partes inferæ tumeant, maximè tamen in aſcite, qui fit ab extravaſato in abdominis cavitatem ſero, & arteriarum oſculis in partium carnoſarum inſterſtitia effuſo. Si recens ſit nec foventem cauſam agnoſcat, ſed vel criticè contigerit, vel uti evenit poſt longas febres exhauſtis ardore febrili ſpiritibus, & tono partium nonnihil fracto, ſanguis ſemicrudus & aquoſus quouſque ſibi natura reſtituatur, ſeroſitates ſuas in abdomen deponens & partes inferiores, feceriț

fecerit aſcitem, tum ſanè pertuſo ſcroto & vulneratis tibiis ac femoribus, aperto oſtio fluit aqua & liberatur æger; nequaquam verò hac arte curabilis, ſi cauſam aliquam foventem, veluti viſcerum principum *κακοπραγίαν*, jecoris ſchirrum, ſimilémve agnoſceret hydrops.

LXXXIV.

Ἢν φλέγμα λευκὸν ἔχῃ, καὶ ἡ γαστὴρ μὴ ταράχθῃ, φάρμακον διδόναι κάτω, ὑφ' ᾧ ὕδωρ καθαιρεῖ, καὶ τοὺ ὄσχεος ἀπολύπλευν ἐπὴν πίμπρηται. De morb.

Leucophlegmatico, ſi alvus libera non ſit, purgans hydragogum exhibeto, & ſcrotum, ubi inflatum fuerit, pertundito.

Id expreſſis verbis etiam docet Hippocrates ubi ſuprà ait hydropicis exhibenda eſſe hydragoga. Ultima verò pars hujus Aphoriſmi convenit cum ſuperiori. Cæterùm leucophlegmatiâ laborantes diarrhœa ſu-

perveniens ſæpiſſime curat, quâ aqua multa vacuatur: unde naturæ imitatione concludenda eſt purgantium hydragogorum utilitas.

LXXXV.

De diæt. in acut.

Τετάνυς ὀσφύος, ἢ ἀπὸ μελαγχολικῶν δι' φλεβῶν πνευμάτων ἀπολήψιες, φλεβοτομίη λύει.

Nervorum circa lumbos diſtentiones, & à melancholicis humoribus per venas ſpirituum interceptiones, phlebotomia ſolvit.

Tetanum circa lumbos & interceptionem ſpirituum per venas inferre poteſt plethora. Copioſa enim & inſignia ſunt circa lumbos ſanguifera vaſa, & copiâ ſanguinis in medullam ſpinalem irruente poteſt illa convelli ac tendi. Multus verò & craſſus ſanguis arterias, quæ venarum nomine ſemper apud Hippocratem exprimuntur, obſtruere poteſt; ita ut libera non ſit ſanguinis circulatio,

nec ſpiritus per arterias unà cum ſanguine volvi, aut per compreſſos à tumentibus venis nervos ferri queat: quod quidem in atrabilariis craſſo donatis ſanguine facilè fieri poteſt. Quibus omnibus tutiſſimum, citiſſimúmque præſidium eſt venæ ſectio, quâ plethora tollitur.

LXXXVI.

Τοῖσι ὀσφῦϊ, ἢ ἰσχίον, ἢ σκέλεα ἀλγήμασιν ἐκ πόνων, θαλάσσῃ, ὄξει, θερμοῖσι καταμηνῶν καὶ σπόγγους βάπτοντα πυελῶ. Epid. 7.

Lumborum, coxendicum, aut crurum dolores ex laboribus ortos, aquâ marinâ & aceto calidè perfundere oportet, & intinctis ſpongiis fovere.

Aqua marina & acetum exteriùs perfuſum humores inter cutem retentos, & dolores lumborum aut crurum procreantes exſiccant & abſorbent, & ſi tepidè iis foveantur partes, reſolvunt & per poros evocant.

LXXXVII.

De nat. hom. Δεῖ τὰς φλεβοτομίας τὰς ἐπὶ τῶ ἀλγημάτων τῶ ἐν τῷ νώτῳ καὶ τοῖσιν ἰσχιοῖσιν ἀπὸ τῶ ἰγνύων, καὶ ἀπὸ τῆς σφυρῶν ἔξωθεν ποιέεσθαι.

In dorsi & coxendicum doloribus, ex poplitibus & malleolis externis venæ sectiones fieri debent.

Sic enim venæ sectio fit κατ' ἴξιν, & celeriùs vacuatur morbificus humor; has quippe externas partes irrigant venæ & arteriæ quæ ad poplitem & malleolum externum feruntur.

LXXXVIII.

De Affect. Δεῖ δὲ τὰς φλεβοτομίας πρὸς τὰς ὀδυνίας ποιέεσθαι τὰς ἀπὸ τῶ ψόων καὶ ὀρχίων, ἀπὸ τῶ ἰγνύων καὶ ἀπὸ τῆς σφυρῶν ἔσωθεν.

In lumborum verò & testium doloribus, sanguis ex poplitibus & malleolis internis mittendus.

Simili ac ſuperiùs ratione ſecandæ ſunt internæ venæ, quia quæ lumbos & teſtes perreptant venæ, eædem ad interna poplitis & malleoli feruntur.

LXXXIX.

Ὁκόσοι σπλῆνα ἔχουσι μέγαν, τοῖσι μὲν φλεγματώδεσι ξυμφέρει ξηραίνοντα, καὶ ἰσχναίνοντα σιτίοισι, καὶ ποτοῖσι, καὶ ἐμέτοισι, καὶ γυμνασίοισι, καὶ περιπάτοισι. De Affect.

Lienoſis qui pituitoſi ſunt confert diæta exſiccans & extenuans cibis & potibus, vomitibus, exercitationibus & deambulationibus.

Lien obſtruitur & intumeſcit à crudis tartareíſque humoribus, quibus vacuandis & abſorbendis conveniunt diæta exſiccans & tenuis, vomitus, & exercitia, præcipuè in pituitoſis qui ex his meliùs habent, utpote ſuperfluitatibus plurimùm ſcatentes.

XC.

Ibid. Ὁκόσοι δὲ χολώδεες διυγραίνοντα τῇ διαίτῃ ὑπάγειν τὴν κοιλίην καὶ τὴν κύστιν, καὶ τοῖσι διυρητικοῖσι χρῆσθαι.

Qui verò ex iis bilioſi ſunt, humectans diæta alvum & veſicam ſubducens, & diuretica remedia.

In bilioſis lienis obſtructio ex retorrida & exſiccata bile oritur, cui convenit humectans diæta bilem hanc diluens, alvum & veſicam moventia quæ ejus partem vacuant.

XCI.

Ibid. Τῶν φαρμάκων ὅσα διδόναι τὸν σπλῆνα, τὰ μὲν διὰ τῆς κύστιος καθαίρει καὶ ποιέει λαπαρώτερον· τὰ δὲ καθαίρει ὅτε διὰ τῆς κύστιος ὀδὲν, ὅ, τι καὶ φανερώτερον, ὅτ' ἄλλῃ ὁδαμῇ, λαπάσσει δὲ τὸν σπλῆνα.

Ex medicamentis quæ ad lienem exhibentur, alia quidem per veſicam purgant, & eum molliorem efficiunt: alia

verò nequicquam manifeſtum per veſicam aut per aliam partem vacuant, lienem tamen emolliunt.

Prioris generis ſunt cappares, bruſcus, ciceres, tamariſcus, vinum album: hæc enim tartaream materiam lienem obſtruentem incidunt & per urinas exturbant. Poſterioris ſunt ammoniacum, verbena, ſal tartari, chalybs & cortex Peruvianus, quæ acidum lienis alcali ſuo corrigendo & amaritie ſua dulcificando, ex acido enim & amaro mixtis fit dulce, impactum & quaſi coagulatum in liene ſanguinem diſſolvunt, fluidiorémque reddunt.

XCII.

Δυσεντερικῷ ὄρρον πόσαι καὶ γαλακτοπόσαι ἐν γάλακτι πεπυρωμένῳ, μετριώτερα τὰ ἀλγήματα καὶ ὕφαιμα. Epid.

Dyſenterico epotis ſero lactis & lacte in quo candentes lapides extincti, dolores & cru-

entæ dejectiones moderatiores *fiunt.*

Dyſenteria eſt frequens & cruenta alvi dejectio cum ventris dolore ac torminibus, ab inteſtinorum exulceratione dependens. Tergendis ulceribus convenit ſerum lactis, deterſa glutinat & cicatrice obducit lac ipſum caſeosâ ſuâ parte, ſi præſertim corporis alicujus igniti extinctionem ſit expertum. Vel enim ex ferro lapidibúſve ignitis, lac ingrediuntur aliqua corpuſcula calcis naturam referentia, atque ideo alcalia, quæ poſſunt acidorum humorum exulcerantium aculeos infringere, inde dolores miteſcunt & parcior fluit ſanguis: Vel ab ignitorum extinctione pars lactis magis aquea conſumitur, & lac craſſius redditur, ut poſtea obducendis inteſtinorum ulceribus, & implicandis acribus humoribus aptius ſit.

XCIII.

De Affect. Δυσεντερίη, λειεντερίη καὶ διάῤῥοια παραπλήσιαί εἰσι, καὶ δεῖ αὐτὰς ὅτως ἰᾶσθαι.

τ μὲν καθαρὸν ἀπὸ τ κεφαλῆς καὶ τ ἄνω κοιλίης ἀποτρέπειν: ἔπειτα σιτίοισι καὶ ποτοῖσι ὑφ' ὧν ξηραίνεται ἡ κοιλίη καὶ τὸ σῶμα πᾶν.

Dyſenteria, lienteria & diarrhœa inter ſe affines ſunt, ſícque curandæ, ut fluxionem à capite & ſuperiore ventre avertas, dein cibis ac potionibus quibus alvus & totum corpus exſiccatur.

Dyſenteria qualis ſit affectus modò dictum fuit. Lienteria eſt ſpecies alvi fluxus in qua cibus non immutatus, ſed prout fuerat aſſumptus, per alvum celeriter excernitur. Diarrhœa eſt alia alvi fluxus ſpecies in qua humores excrementitij ſine ſanguine aut alimento, & ſine exulceratione inteſtinorum procedunt. Affines itaque ſunt affectus, quia in multis conveniunt, non autem in omnibus: ſic enim non affines, ſed ſimiles eſſent affectus. Conveniunt in parte affecta, quæ eadem eſt nem-

pe inteſtina, & nonnunquam ventriculus; in ratione morbi qui ſymptoma eſt in excretis toto genere præter naturam. Differunt in multis, ut ex eorum uniuſcujuſque definitione patet. Ubi ergo quis medicam manum iis ſatagit admovere, arceat primò fluxionem à partibus ſuperis in inteſtina; fruſtra enim conjunctam aggrediaris cauſam, ni antecedens tollatur. Rivus permanente ſcaturigine exſiccari non poteſt. Sublatâ autem causâ antecedenti, conjuncta tollitur exſiccantibus, omne enim ulcus poſtulat exſiccari.

XCIV.

Ibid. Τενεσμὸς ὅταν λάβῃ, ξυμφέρει τὴν κοιλίην διυγραίνειν καὶ λιπαίνειν, καὶ ὑπάγειν τὰ ἐνέοντα, καὶ λούειν θερμῷ, πλὴν τῆς κεφαλῆς.

Si prehenderit Teneſmus, convenit alvum humectare, pinguem reddere ac lævigare, quæ intus ſunt ſubducere, & calidâ excepto capite lavare.

Assidua desidendi cupiditas cum torminibus tenesmus vocatur, oritúrque ab humore acri & tenaci irritante, imò & exulcerante rectum intestinum. Igitur huic humori demulcendo, diluendo ac subducendo, non parum conferent alvum humectantia & lubrificantia, veluti clysteres anodyni, humectantes, ac ut ita dicam pinguefacientes, ex decocto malvæ, seminis lini, seminum frigidorum majorum, ficuum, cum saccharo, vitello ovi & sevo hircino. Quibus dein offerenda per os purgantia levia, manna, catholicum rheo duplicato: potiones lenitivæ ex oleo amygdalino & syrupo capillorum Veneris: tandem balneum antiquis usitatissimum, à quo tum dolores mitigantur, tum subtilior acrium humorum pars per cutis spiracula foras evocatur, & somnus omnium dolorum placidissimum nepenthe procuratur.

XCV.

Ἢν τὰς αἱμορροΐδας μήτε βυλῆς καίειν, μήτε ἀποτάμνειν, προκαθαρσίους ὕδατι De hæmorrh.

πολλῷ, καὶ ἐκτρέψας τὸν ἕδρον, σμύρναν τρίψας, λείβιν καὶ κηκίδα, καὶ συπλη-ρίβιν καταπάσας, καὶ μελανηρίβιν, καὶ ἀπο-στήσει ἡ αἱμορροΐς, καλαπεπαυμένη.

Hæmorrhoïdes ſi nec urere, nec ſecare velis, ſedes multâ aquâ calidâ priùs fovenda & invertenda, tum myrrha lævigata, galla, alumen uſtum, & melanteria applicanda ſunt, & uſta decidet hæmorrhoïs.

Hæmorrhoïdum primò tentanda curatio remediis internis, quæ ſanguinem contemperent, & acribus ſaliníſque humoribus imprægnatum repurgent. At ſi fruſtra fuerint adhibita, ægérque ex continuo hæmorrhoïdum fluxu debilis admodum fiat, impendeátque hydrops, tunc ſi nec urere actuali cauterio, neque ſecare velis, quod promptum eſt, ſed crudele præſidium, exſiccatio & curatio fieri poteſt remediorum propoſitorum ope, quæ ex ſtypticis & cauſticis mixta ſunt, quibus uſtulatum

hæmor

hæmorrhoidale vas claudetur & decidet.

XCVI.

Ὁκόταν ἀρχὸς ἐκπίπλῃ, ὕδατι θερμῷ πεφεπλωμένῃ σίδια, καὶ συμπεπιλημένῳ τρίψας ἐν οἴνῳ καταχέαι τῇ ἀρχῇ· ἔπειτα ῥάκεα ἐμβαλεῖν καὶ τὰς μηρὰς ξυνδῆσαι ἡμέρας τρεῖς, καὶ νηστιν ἐάσαι. De Fistul.

Cùm anus prolabitur decocto malicorij calido, & alumine vino dissoluto anus fovenda: postea fasciis femora tribus diebus inter se vincienda, & inedia imperanda.

Anus prolabens aptissimè coërcebitur hisce adstringentibus medicamentis, decocto malicorij, hoc est corticis granatorum, & alumine vino dissoluto. Postea per aliquot dies fasciis femora revinciantur, ne egressui iterum locus detur; & ne alimentorum fæcibus exturbetur, inedia seu victus admodum tenuis imperandus.

XCVII.

De affect. Στραγγουρίᾳ ξυμφέρει ἔξωθεν τὸ σῶμα μαλάσσειν λυτροῖσι θερμοῖσιν, ἔσωθεν διυγραίνειν ; τὴν μὲν κοιλίην σιτίοισιν ὑφ' ὧν ἔυροος ἔσται, τὴν δὲ κύστιν ποτοῖσιν ὑφ' ὧν τὸ οὖρον διαχεῖται.

Stranguriæ confert balneis calidis foris emollire, intus alvum humectare cibis laxantibus, vesicam verò potionibus diureticis.

Sive oriatur stranguria ab arena, sive à viscido phlegmate, alióve acri humore vesicam irritante, balneum tepidum juvat, quia vias emollit & lubrificat : conferunt & cibi laxantes, quia materiam antecedentem à vesica avertunt ; & potiones diureticæ, quia vias detergunt, & materiam conjunctam foràs propellunt.

XCVIII.

Epid. 2. Παρωνυχίῃσι κηκὶς μέλαινα ἐν μέλιτι.

Ad paronychiam galla nigra cum melle.

Paronychia eſt inflammatio in digitorum extremis orta, quæ ob partis exactam ſenſibilitatem admodum dolorifica eſt ; & ſi ſuppuret periculoſum ulcus & aliquando gangræna accerſens : cui affectui ubi in principio adhuc eſt, non malè conveniet cataplaſma ſtypticum ac repellens ex galla nigra cum melle, non neglectis remediis univerſalibus, præcipuè venæſectione.

XCIX.

Ἄλφῳ καὶ λέπρης τιτάνῳ ἐν ὕδατι, ὡς μὴ ἑλκώσῃς. Ibid.

Ad impetiginem & lepram, aquam calcis adhibe, ita temperatam, ut non ulceret.

Impetigo & lepra Græcorum, quæ ſcabiei ſpecies etiam pſora vocatur, à ſero ſalſo & acido, ſeu, ut Hippocrates loquebatur in ſect. II. à pituita humoribus acribus permixta, originem ducit. Iis ergo conferre debet aquæ calcis admotio, quæ alcali donata ſal acidum mortificat, & ul-

cuſcula illa potenter exſiccat. Ideóque optimum eſt vulnerarium, omníque ulcerum putredini maximè adverſum. Quinimò quod magis mirum, ulceribus internis, diarrhœæ, dyſenteriæ, aqua illa cum lacte aut ſero lactis pota mira præſtat, ut ex Domino de la Cloſure, celeberrimo inter Santones ac Vaſcones Practico, addidici.

C.

Epid. 6. Χειμέτλων κατασχᾶν, ἀλεαίνειν, τὰς πόδας ὡς μάλιστα ἐνθερμαίνειν πυρὶ καὶ ὕδατι.

Pernionum medela ſcarificatio, tepefactio, ita ut pedes quàm maximè igne & aquâ excalefacias.

Tumoribus à frigore ortis, quos perniones vocamus, non putem convenire parti quidem ſcarificationem, ſed fortè in partibus vicinis aut oppoſitis ad ſeri derivationem aut revulſionem, ſic inflammationi à frigore in extremo naſo, cucurbitulæ

ſcapulis ſcarificatæ utiles eſſe poſſunt.

C I.

Ἰσχιας ὅταν γένηϑ, συμφέρει μαλάσσειν ἐν λυτροῖσι καὶ χλιάσμασι, καὶ τὴν κοιλίην ὑπάγειν: ὅταν δὲ λωφήσῃ ἡ ὀδύνη, φάρμακον δοῦναι κάτω, καὶ μετὰ ταῦτα πίειν γάλα ὄνου ἕφθον. De Affect.

Iſchias ubi accidit, confert balneis & fomentis emollire, alvúmque ſubducere: cúmque levatus fuerit dolor, purgans exhibere, & poſtea lac aſininum coctum potare.

Iſchias eſt coxarum dolor ab humoris tenuis acris decubitu in partes iſchio vicinas. Huic affectui ratione cauſæ conjunctæ conferunt balnea & fomenta emollientia, quibus ſeri illius acris tranſpiratio promovetur, & dolor mitigatur: ratione cauſæ antecedentis quæ cumulationem aliquam impurorum ſuccorum in primis viis agnoſcit, à quibus chylus ſeroſus & acris redditur, con-

ducit alvum clyſteribus aut levibus eccoproticis, mannâ, caſſiâ alvum ſubducere: dein ubi dolor mitior fuerit redditus fortius purgans exhibere, quo & impuri iſti ſucci & ſeroſa illuvies vacuentur: poſtea lac aſininum per aliquod tempus potare, quo ſanguinis acrimonia miteſcat; & præcipuè coctum, quo ſeri in lacte contenti pars abſumatur, ſícque craſſiorem maſſæ ſanguineæ conſiſtentiam conciliare poſſit, ne ampliùs ſerum acre & tenue ſuppeditet.

CII.

Ibid. Ἀρθρῖτις ὅταν ἔχῃ, ξυμφέρει ψύγματα προσφέρειν, καὶ ἐν τῇ κοιλίῃ ὑπάγειν τὰ ἐνεόντα, κλύσμασιν ἢ βαλάνῳ, καὶ φάρμακον κάτω πίσας, καὶ μετὰ τοῦτον πίνειν ὄρρὸν ἕφθον καὶ ὄνου γάλα.

Arthritidi confert admovere refrigerantia, alvum clyſteribus aut ſuppoſitorio ſolvere, & purgans exhibere, tandémque ſerum coctum & lac aſininum propinare.

Arthritis eſt articulorum dolor ſæpe inflammatione comitatus, unde ratione doloris & inflammationis conferunt ψύκτικα ſeu refrigerantia & anodyna admota, qualia ſunt lac, aqua ſpermatis ranarum. At ratione cauſæ antecedentis, quæ ut jam de iſchiade arthritidis ſpecie diximus, ſeroſa eſt colluvies, ſtomachi vitio ſæpè collecta, conveniunt clyſteres & ſuppoſitoria, diminutâ fermentatione purgantia benigna, tandémque ſerum coctum & probè defæcatum, & γαλακτοποσία, tum lactis aſinini cujus hîc meminit, tum lactis bubuli, quod in hocce affectu mira præſtat, ut experientia & Autores plures teſtantur, atque inter hos Greiſelius de cura lactis in arthritide, Sachs in Miſcellaneis naturæ Curioſorum. Neque eſt hoc recens inventum, ut quidam putarunt. *Sunt inter exempla*, inquit Plinius, *qui lac aſininum bibendo liberati ſint podagrâ, chiragráve.* At hîc antiquiorem Præceptorem in hoc præſidio adminiſtrando Hippocratem habemus.

CIII.

Ibid. Ποδάγρη βιαιότερον μὲν τῶν τοιούτων, καὶ πολυχρονιώτατον καὶ δυσαπαλλακτότατον, θανατώδες δὲ ὅτι ξυμφέρει δὲ καὶ ταύτῃ τὰ αὐτὰ, ἃ καὶ τῇ ἀρθρίτιδι.

Podagra vehementior quidem horum dolorum & maximè diuturnus, quíque difficillimè ſolvitur, minimè verò lethalis: huic eadem quæ arthritidi conferunt.

Podagræ dolor vehemens eſt ob partium ſenſibilitatem; maximè diuturnus, quia cùm pars affecta ſit pedum extremitas, non ita celeriter illic reſolvitur cauſa morbifica ac in alia parte calidiori. Huic autem cùm ſit arthritidis ſpecies, non alia quàm ipſi conferunt remedia.

CIV.

De Flat. Ὅσα μὲν χειρουργῆσαι δεῖ χρὴ σαφῶς διαθλῶσαι: τὸ γὰρ ἔθος τῆσι χερσὶ κάλλιστον διδασκαλεῖον.

Quæcunque Chirurgiam poſtulant ea in uſum à Medico revocanda : eſt enim manuum uſus optimus docendi magiſter.

Chirurgia olim à Medicis exercebatur , præſertim tempore Hippocratis , cujus in hac arte peritiam teſtantur libri varij Chirurgici quos nobis reliquit. Nunc autem etiamſi à Medicina veluti diſcerpta ſit , præſidere tamen ſemper Chirurgo debet Medicus , atque adeò & in Chirurgia peritus eſſe , & paratus præcipuè in locis ubi ſolus eſt , manuum operationes ipſemet exequi.

C V.

Ἕλκεσι τοῖσι πλείστοισιν ὥρη ἡ θερμοτέρη ξυμφορωτέρη ἢ χειμῶνος, πλὴν τοῖσιν ἐν κεφαλῇ καὶ κοιλίῃ. De ulceribus.

Ulceribus pleriſque calida tempeſtas anni magis conducit quàm hyems , præterquam iis quæ fiunt in capite & ventre.

Calida anni tempestas transpirationem auget, à qua pars seri acris ulcera procreantis & foventis foras pellitur & exsiccatur. At in partibus quas multa sanguifera penetrant vasa, quale est caput, & venter medius ac inferior in quibus viscera, febris & inflammatio maximè metuendæ, quæ citiùs æstate quàm hyeme accidunt. Etenim observat Hippocrates libro de capitis vulneribus, in his hyeme plerumque ante decimumquartum diem febrem prehendere, æstate verò post septimum.

Ibid.

CVI.

Ἕλκεα ξύμπαντα οὐ χρὴ τέγγειν πλὴν οἴνῳ, ἢν μὴ ἐν ἄρθρῳ εἴη τὸ ἕλκος· τὸ μὲν γὰρ ξηρὸν τοῦ ὑγιέος ἐγγυτέρω ἐστὶ, καὶ τὸ ὑγρὸν τοῦ μὴ ὑγιέος.

Ulcera quæcunque præterquàm vino madefieri non debent, nisi articulos occupent: quod enim siccum est ad sanum, quod humidum ad morbosum propiùs accedit.

Rationem ſubjunctam habet hæc ſententia. Humidæ ſunt partes ulceratæ, ſanæ & integræ ſiccæ ſunt, ideoque ut ad ſanitatem ulcera deveniant, ſiccantibus ſunt curanda. At articuli humido quodam naturaliter donati ſunt, atque ideo humectandi, ne ſicca nimis fiat carnis regeneratio & cicatrix, quibus eorum motus impediretur : aut ſaltem exſiccantia moderatiora eſſe debent.

CVII.

De fract.

Οὐδὲ τοῖσι νεοτρώτοισιν ἕλκεσι ξυμφέρει ἔλαιον, οὐδὲ μαλθακώδεα, οὐδὲ σηπεδώδεα φάρμακα.

Recentibus ulceribus nec oleum, nec mollientia, nec pinguia medicamenta conveniunt.

Ea enim inflammationem & putredinem accerſunt, ſed potiùs detergentia conveniunt, quæ ulcus ſordidum fieri impediunt.

CVIII.

De ulcer. & de cap. vulner.

Τὰ κυκλότερα τῶν ἑλκέων, ἐὰν ἰσόπλευρα ᾖ, καὶ μῆκος τοῦ σώματος μακρὰ ποιέειν.

Rotunda ulcera si cava fuerint longa facere oportet, secundùm corporis longitudinem.

Ulcera longa faciendo approximantur eorum labia, ut possint ad cicatricem perduci. Sectio autem secundùm corporis longitudinem fieri debet, ne musculorum fibræ transverſim secentur.

CIX.

Epid. 2. Sect. 5.

Ὅσα σφακελίζει ἀπολαβόντα τὴν φλέβα ἑλκῶσαι καὶ ὑγιῶσαι.

Quibus gangræna incipit, ea venâ interceptâ ulcerare & curare oportet.

Id est, ubi jam in ulcere incipit gangræna, ne partes vicinas inficiat,

ciat, eæ circum ulcus, & præcipuè circa venas quæ illud irrigant, cauſticis, ſive ut nunc invaluit uſus, ſcarificationibus utendum.

CX.

Ἐπὶ τὰ καύματα πρόσα τρίψας πολλὰ καταπλάσσειν εὐθὺς μὴ πιὼ καῦσιν, καὶ καταλιμπάνειν μίλιν ἡμέρην. De int. affect.

Partibus ambuſtis porrum multum tritum ſtatim poſt uſtionem ex cataplaſmate imponito, & diem unum ſinito.

Calidarum rerum applicatio, veluti porri, in partibus ambuſtis, evocat particulas igneas in iis contentas, ſícque dolorem mitigat & ſanitatem procurat. Ita alia calidiora, veluti fotus ex ſpiritu vini, non parùm in hoc caſu juvant.

CXI.

Τὰ λιπαρὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα οὐ ξυμφέρει, οὐδὲ πρὸς τὰ ἀκάθαρτα, οὐδὲ πρὸς τὰ σηπόμενα. De Affect.

Pinguia inflammatis minimè conveniunt, neque ſordidis, aut putreſcentibus.

Pinguia enim & oleoſa facilè inflammantur, cutíſque poros occludunt, unde neque inflammatis partibus, neque ſordidis ulceribus conveniunt, cùm inflammationem & putredinem hoc pacto adaugeant.

CXII.

Ibid. Πρὸς μὲν τὰ φλεγμαίνοντα ξυμφέρει τὰ ψυχρά; πρὸς δὲ τὰ ἀκάθαρτα, καὶ τὰ σηπόμενα τὰ δριμέα καὶ ὅσα δῆξιν παρεχόμενα, καθαίρει.

Ad inflammata quidem conferunt frigida; ad ſordida verò & putreſcentia, acria & quæ morſum excitando, detergunt.

Inflammationi præcipuè in principio refrigerantia applicata conveniunt, quia repellunt. Sordidis verò ulceribus ac putredinem contrahentibus, acria quæ partes nonnihil mordendo ac irritando, detergunt

& ad ſordidi puris expulſionem incitant, veluti lixivium cineris ſarmentorum, decoctum abſynthij, ariſtolochiæ, centaurij minoris in vino albo, aut aquâ.

CXIII.

Τὰ φάρμακα ὅσα πολὰ πρὸς τὰ τρώματα προσφέρειν μανθάνειν χρὴ : ἄξιον γὰρ ἅπαντος. Ibid.

Quæ exhibentur potiones vulnerariæ, eæ perdiſcendæ, & plurimùm æſtimandæ.

Hæ potiones ab Hippocrate commendatæ & experientiâ comprobatæ, nimis à noſtris Chirurgis negliguntur, etſi ſæpius topicis præponendæ. Earum vis eſt ut per urinas exturbent ſalſum & acre ſanguinis ſerum, quod ulcera & abſceſſus generat aut fovet. Parantur autem præcipuè ex Pyrolâ, Saniculâ, Virgâ aureâ, Pede Leonis ſeu Alchymillâ, Angelicâ Sylveſtri, Betâ rubrâ, atque Artemiſiâ, in vino albo puro aut lymphato decoctis in Balneo Ma-

riæ, quibus si fœtus mortuus, ossa fracta, aut aliquid præternaturam in corpore retentum sit, additur Sabina.

CXIV.

De officin. Med.

Ἐπιδέσματα καθαρὰ, κῦφα, μαλθακὰ, λεπτὰ: ἐλίσσειν ἀμφοτέροισιν ἅμα καὶ ἑκατέροισι χωρὶς ἀσκεῖν.

Vincula munda, levia, mollia & tenuia sint: eáque ambabus simul manibus tractare, aut alternis invicem uti oportet.

Fasciæ mundæ esse debent, ne si sordida sint, prohibeant quominùs vis infusorum liquorum ad corpus possit penetrare, leves ne locum affectum gravent, molles ne pars comprimatur, tenues quia quæ ejusmodi sunt leviores & molliores esse solent. Manifestum est præterea, unumquodque horum ad id etiam conferre, ne inflammatio aliqua ea in parte excitetur. Galen. in hunc loc.

CXV.

Παρθένιες ἢ λεῖοι, ὁμαλοὶ, σιμοὶ κατ'

ἄκρα, σμικρῷ μείους ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς ἐπιδέσεως.

Ferulæ autem læves, æquales, circa extrema resimæ sint, & ab utraque parte deligatione paulò breviores.

Ad minima descendit Hippocrates, sed minima non censet, quæ ad hominis sanitatem quomodocunque conferunt. Ferulæ quæ fractis membris apponuntur læves esse debent, ne suâ asperitate partem lædant; æquales ne suâ inæqualitate ei sint incommodæ; circa extrema resimæ, ne acumine cutem pungant; & fasciis paulò breviores, ut firmiter contineantur.

CXVI.

Εὐρύθμους ἐπιδέσιας καὶ θερμὰς μηδὲν ὠφελούσας ἀπογινώσκειν, φορτικὸν γὰρ τὸ τοιοῦτον καὶ παντελῶς ἀλαζονικόν. De Med.

Deligationes concinnæ & ad pompam comparatæ, nihilque conferentes repudiandæ. Sunt

enim moleſtæ & ad oſtentationem factæ.

Utilitas in Medicina & Chirurgia quærenda primùm. Moleſtum eſt quod inutile & ad pompam comparatum, quales ſunt quædam deligationes & Chirurgo & ægro moleſtæ, etiamſi concinnæ. Simplicitas potiùs colenda, quàm concinnitas ad oſtentationem facta.

CXVII.

Ibid. Ἐν οἷς ἔστι δι' μιᾶς τομῆς ἡ χειρουργία, χρὴ ποιέεσθαι ταχεῖαν τὴν διαίρεσιν· ὅπου δ' πολλαὶ ἀναγκαῖον ἦεσθαι τὰς τομὰς βραδείῃ χρηστέον τῇ χειρουργίᾳ.

Quibus unicâ ſectione chirurgicâ opus eſt, ea celeriter fieri debet: at ubi multas fieri neceſſe eſt, tardâ manuum operâ utendum.

Ubi unicâ ſectione opus eſt, ea celeriter fieri debet, ut ſcilicet celeriùs æger dolore liberetur: ubi

verò pluribus, illæ ſenſim faciendæ, ne à vehementi & continuo dolore animo deficiat. Sic verbi gratiâ, adſunt ulcera ſinuoſa in brachiis aut cruribus, dilatanda ſunt pluribus in locis ac ſimul unienda; id non eſt unâ vice, eadémque die tentandum, alioquin doloribus in lipothymiam decideret æger, & fortè pars nimis irritata inflammaretur: at hodie partem aliquam ſcalpello vel forfice dilatabis, aliam aliâ horâ, vel die ſequenti, donec intentum habeas.

CXVIII.

Ἤιστα χρὴ τῇ τρίτῃ καὶ τετάρτῃ συφελίζειν πάνυ τὰ τρώματα: τὸ ἐπίπαν δὲ τότε τίλλουσι τὰς παλιλλοτηρίας: καὶ ὅσα ἐς φλεγμονὴν καὶ ἀκαθαρσίαν ὁρμᾷ, καὶ ὅσα ἂν ἐς πυρετοὺς ἴῃ. De Fract.

Tertio & quarto die, duriter & aſperè minimè tractari debent vulnera; tunc enim recrudeſcere ſolent, tum quoad inflammationem & ſordes, tum quoad febres.

Adnexam habet rationem Aphoriſmus : ideóque in eo explicando minimè deſudandum. Nullus quippe melior Hippocrati commentator eſt, quàm Hippocrates ipſe.

CXIX.

Epid.6. Ὅσα πεπαίνεσθαι δεῖ καλαπέπλειδε δεῖ, τἀναντία ὑ ξηραίνειν καὶ ἀνεῶχθαι.

Quæ maturationem poſtulant, ea occludi convenit, contraria verò exſiccari & aperta eſſe.

Suppurationem promovent gummata & emplaſtica omnia, quia poros occludunt, ſícque partibus calidis ac ſubtilioribus exitum denegantia calorem & fermentationem adaugent. Igitur ſi exſiccare & reſolvere velimus, non verò maturare, abſtinendum ab illis emplaſticis, & potiùs utendum iis quæ poros aperiunt, veluti ſunt fotus chalaſtici, cataplaſmata reſolventia, ſpiritus vini, aliáque id genus.

CXX.

Πολλὰ τ δοκεόντων ἐκπυέσθ ἀναπίνεται πολλ κλ μηδέν τις καταπλάσῃ. De Artic.

Multa quæ ſuppurare videntur, quandoque etiam nullo adhibito cataplaſmate reſorbentur.

Etſi hic Aphoriſmus ad Semeioticen referri poſſiot, non tamen parvi uſus eſſe poteſt in Therapeutica, ne ſcilicet nimiùm feſtinemus tumores aut ad ſuppurationem adducere, aut aperire, ſiquidem eos diſcuti ſæpius accidat.

CXXI.

Τὰ νεότρωτα ἕλκεα πάντα ἥκιστα ἂν φλεγμαίνοιεν, εἴτις διαπύοι ὡς τάχιστα, ἢ εἴτις ἀποτρέποι ὅκως μήδε μελλήσι διαπυῆσαι, πλεῖν τ ἀναγκαίων πόνων ὀλιγίστων. De ulcerib.

Recentia omnia vulnera minimè inflammantur, ſi quis quàm celerrimè ad ſuppuratio-

nem adducat, aut si quis prohibeat ne suppurent, nisi pure necessario admodum pauco.

Exinde cognoscere licet Neotericorum quorundam praxim, Hippocratis etiam fuisse, quâ scilicet aliquando vulnera sine suppuratione curentur, idque paucis pòst lineis confirmat dum ait: *quod verò ulcus acuto telo incisum aut dissectum fuerit, medicamentum quod cruentis protinus imponitur, & siccans quoddam quod suppurare vetet, admittit.*

FINIS.

701 1460850

INDEX

Rerum præcipuarum.

ABortus periculoſus. pag.83
Abſtinentiæ conſideratio. 221
Aceti uſus & noxæ.63.64.216.& 244
Acidorum vis. 216
Acidum & Alcali. 11.62
Acidum morbi cauſa. 60. *& ſeqq.*
Acria, amara, auſtera. 256
Aëris turbatio vitanda. 277
Æſculapij oraculum. 332
Ætatum conſideratio. 22
Alæ curatu difficiles. 186
Alimenta quæ bona. 207. alvum laxantia.212. conſtipantia. 213.diuretica. 214. & 215
Alimenti circulatio. 44
Allij vires. 250.348
Alopeciæ cauſa. 94
Alvi fluxus futuri ſigna. 131
Amarum morbi cauſa. 59
Ambuſtionis remedium. 397

Anginæ cauſa. pag.74.*& ſeqq.* prognoſt. 132.309.310
Animantia ex igne & aqua conſtant. pag. 10
Ani prolapſus cura. 385
Antidotus ad quartanarios. 347
Antimonium an antiquis notum? 364
Apoplexiæ cauſa. 55.70.125. futuræ ſigna. 125. cura.308
Aqua vorax. 64
Aquæ calcis uſus. 387
Aquæ minerales. 215.& 227
Aquarum conſideratio. 227.*& ſeqq.* uſus in febribus. 339.*& ſeqq.*
Aquilinus naſus quid ſignificet. 101
Arthritidis cauſa. 61. cura. 390
Aſtronomia Medico utilis. 49
Atra bilis quid efficiat. 116
Auris dolor ut curandus. 320. ſordes mutatæ quid portendant. 98
Aurum potabile. 51.& 52

Balbus & calvus quibus morbis tententur. 65
Balnei uſus. 268
Bilis fons ad hepar. 14

Calidum frigido nutritur. 12. non eſt febris cauſa. 60

Capitis

Capitis conſideratio ad Phyſiognoniam. pag. 99. 100. ejus ulcus ut tractandum. 317. contrafiſſura. pag. 319
Caput glanduloſum. 20. morborum radix. 57. morboſiſſimum. 58. pituitæ fons. 14
Cardialgiæ præſidium. 338
Carnium conſideratio. 224. ſalitarum. 226
Carnis nimius eſus Choleræ cauſa. pag. 88
Cava, ſolida, rara, ſpongioſa, quæ in corpore. 81. 82
Cauſi cura. 339
Cephalalgiæ cura. 315. ab utero. ibid. ex crapula. 316
Cerebrum frigidi metropolis. 19. 20. glandulæ ſimile. ibid.
Choleræ cauſa. 88. cura. 360
Chirurgia Medico neceſſaria. 393
Chymia an antiquis nota. 52. 80
Ciborum conſideratio. 201. *& ſeqq.*
Circulatio ſanguinis. 44. *& ſeqq.* lactis. ibid. ſpiritus. ibid.
Clyſterum uſus. 300
Columellæ inflammatæ cura. 322 ſectio. 170

Conceptio quibus non fiat. 36
Confluxus unus. 13
Continentia, impetum facientia & contenta. 18
Contraria contrariis curantur. 281
Cor ſanguinis fons. 14. arteriarum radix. 15. muſculus eſt. 22. & 23
Corporis nullum principium. 13
Corpus totum perſpitabile. 12
Coryzæ prognoſtica. 132. & 133
Cutis raritas & denſitas quid efficiant. 78

Deambulationum utilitas. 264
Deligationes quales eſſe debent. 401
Delirij prognoſtica. 171. 173
Dentes plures vitæ longæ ſigna. 106
Dentitionis morbi. 111. 112
Diæta calida & frigida quæ. 259. 263
Diarrhœæ cura. 381
Dulcium conſideratio. 256
Dyſenteriæ curæ. 379. *& ſeqq.*

Empirica apud Hippocratem. 285
Empyematis ſigna. 140. cura. 333
Epilepſia quibus contingat. 67. ejus cauſæ. 68. *& ſeqq.*
Eryſipelatis prognoſtica. 169

Facies Hippocratica. 97
Fames morborum cauſa. 57
Fauces ulceratæ. 170
Febres inconſtantes. 349. malignæ. 86. earum ſigna. 128
Febrium cauſæ 60. *& ſeqq.* 86. remedia febrifuga. 339.342.& 346
Ferulæ quales eſſe debent. 401
Flatuoſa quæ. 217.218
Fluoris ſpecies. 156. *& ſeqq.* cura. 358.
Fluxiones unde. 72. à capite. 73
Fœtus nutritio per os. 26.27. motus in utero 30. & 31. reſpiratio per os. 39.& 40
Fomenta varia. 326
Formæ & mores hominum. 19
Frigiditas & caliditas quid agant. 59
Fructus horarij choleram gignunt. 88

Gangrænæ cura. 396
Glandularum morbi. 89
Graviditatis ſigna. 155

Hæmorrhagiæ remedia. 324. ſigna. 106. *& ſeqq.*
Hæmorrhoïdum conſideratio. 161
cura. 384

Hemitritæi prognoſtica. 174
Hepar venarum radicatio. 15. gratioſi ſucci fons. 16
Homo à natura morbus. 53
Hordei vires. 249
Hydatides quid. 91
Hydromelitis vires. 252. *& ſeqq.*
Hydrops ab hydatidibus. 90. ab hepate. 91. à liene & omento. 67. ab utero. 151
Hydropis cura. 367. *& ſeqq.* prognoſtica. 147. *& ſeqq.* Hydropis pectoris ſigna. 145. *& ſeqq.*
Hyſterica. 350. *& ſeqq.*

Icteri cura. 361
Jejunij noxæ & uſus. 221
Ignis & aqua omnium principia. 11
Ilei cura. 362. Ileus Ictericius. 363
Imperitia malus theſaurus. 3
Impetiginis cauſa. 94. remedium. 387
Inflammationis cura. 98
Intemperies in ſanguine, non in partibus ſolidis. 59
Intermittentes malignæ evadunt. 86
Iræ noxæ. 272. 274
Iſchiadis cura. 389

Laborum utilitas. 265

Labra exulcerata quid portendãt. 173
Lac ex Chylo. 28.& 29. ejus uſus in arthritide. 390. 391
Lactis conſideratio.223. *& ſeqq.* 255 defectus 34.323.tardiùs apparens. 37. & 38. vomitus. 110
Laſerpitium quid. 344.& 349
Lateris dolor. 325
Leguminum qualitates. 251
Lentis vires. 250
Lepræ cauſa. 94. remedium. 387
Lethargi ſigna. 127. cura. 314
Leucophlegmatiæ cura. 373
Levia in levibus morbis. 295
Lien morboſiſſimum. 58. fiſco comparatum. 66. unde intumeſcat. 67. deorſum pendens. 165. melancholiæ fons. 14
Lienes magni quid. 162
Lienoſorum remedia. 377 *& ſeqq.*
Lienteriæ cura. 380.*& ſeqq.*
Linguæ conſideratio. 123.& 124
Lochiorum conſideratio. 153.355
Lumbrici lati ſigna. 160
Luxatio articulorum. 177. femoris. 179. maxillæ. 83. vertebrarum. 189.
Lymphæ uſus. 44

riæ, quibus si fœtus mortuus, ossa fracta, aut aliquid præternaturam in corpore retentum sit, additur Sabina.

CXIV.

De officin. Med.

Ἐπιδέσματα καθαρὰ, κῦφα, μαλθακὰ, λεπτὰ: ἑλίσσειν ἀμφοτέροισιν ἅμα καὶ ἑκατέροις χωρὶς ἀσκεῖν.

Vincula munda, levia, mollia & tenuia sint: eáque ambabus simul manibus tractare, aut alternis invicem uti oportet.

Fasciæ mundæ esse debent, ne si sordida sint, prohibeant quominùs vis infusorum liquorum ad corpus possit penetrare, leves ne locum affectum gravent, molles ne pars comprimatur, tenues quia quæ ejusmodi sunt leviores & molliores esse solent. Manifestum est præterea, unumquodque horum ad id etiam conferre, ne inflammatio aliqua ea in parte excitetur. Galen. in hunc loc.

CXV.

Νάρθηκες ὃ λεῖοι, ὁμαλοὶ, σιμοὶ κατ'

ἄκρα, σμικρῷ μείους ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς ἐπιδέσεως.

Ferulæ autem læves, æquales, circa extrema resimæ sint, & ab utraque parte deligatione paulò breviores.

Ad minima descendit Hippocrates, sed minima non censet, quæ ad hominis sanitatem quomodocunque conferunt. Ferulæ quæ fractis membris apponuntur læves esse debent, ne suâ asperitate partem lædant; æquales ne suâ inæqualitate ei sint incommodæ; circa extrema resimæ, ne acumine cutem pungant; & fasciis paulò breviores, ut firmiter contineantur.

CXVI.

Εὐρύθμους ἐπιδέσιας καὶ θεπτικὰς μηδὲν ὠφελούσας ἀπογινώσκειν, φορτικὸν γὰρ τὸ τοιοῦτον καὶ παντελῶς ἀλαζονικόν. De Med.

Deligationes concinnæ & ad pompam comparatæ, nihilque conferentes repudiandæ. Sunt

enim moleſtæ & ad oſtentationem factæ.

Utilitas in Medicina & Chirurgia quærenda primùm. Moleſtum eſt quod inutile & ad pompam comparatum, quales ſunt quædam deligationes & Chirurgo & ægro moleſtæ, etiamſi concinnæ. Simplicitas potiùs colenda, quàm concinnitas ad oſtentationem facta.

CXVII.

Ibid. Ἐν οἷς ἔστι δι' μιᾶς τομῆς ἡ χειρουργία, χρὴ ποιέεσθαι ταχεῖαν τὴν διαίρεσιν· ὅπου δ' πολλαὶ ἀναγκαῖον ᾖ ποιέεσθαι τὰς τομὰς, βραδείῃ χρηστέον τῇ χειρουργίᾳ.

Quibus unicâ ſectione chirurgicâ opus eſt, ea celeriter fieri debet: at ubi multas fieri neceſſe eſt, tardâ manuum operâ utendum.

Ubi unicâ ſectione opus eſt, ea celeriter fieri debet, ut ſcilicet celeriùs æger dolore liberetur: ubi

verò pluribus, illæ ſenſim faciendæ, ne à vehementi & continuo dolore animo deficiat. Sic verbi gratiâ, adſunt ulcera ſinuoſa in brachiis aut cruribus, dilatanda ſunt pluribus in locis ac ſimul unienda; id non eſt unâ vice, eadémque die tentandum, alioquin doloribus in lipothymiam decideret æger, & fortè pars nimis irritata inflammaretur: at hodie partem aliquam ſcalpello vel forfice dilatabis, aliam aliâ horâ, vel die ſequenti, donec intentum habeas.

CXVIII.

Ἤιστα χρὴ τῇ τρίτῃ καὶ τετάρτῃ συφελίζειν πάνλα τὰ τρώμαλα: τὸ ἐπίπαν γὰρ τότε τίκλουσι τὰς παλιλροπίσιας: καὶ ὅσα ἐς φλεγμονὴν καὶ ἀκαθαρσίλν ὁρμᾷ, καὶ ὅσα ἂν ἐς πυρετὸς ἴκι. De Fract.

Tertio & quarto die, durirer & aſperè minimè tractari debent vulnera; tunc enim recrudeſcere ſolent, tum quoad inflammationem & ſordes, tum quoad febres.

Adnexam habet rationem Aphoriſmus : ideóque in eo explicando minimè deſudandum. Nullus quippe melior Hippocrati commentator eſt, quàm Hippocrates ipſe.

CXIX.

Epid.6. Ὅσα πεπαίνεσθαι δεῖ καλαχέλειδζ δεῖ, τἀναντία ὑ ξηραίνειν καὶ ἀνεῶχθαι.

Quæ maturationem poſtulant, ea occludi convenit, contraria verò exſiccari & aperta eſſe.

Suppurationem promovent gummata & emplaſtica omnia, quia poros occludunt, ſícque partibus calidis ac ſubtilioribus exitum denegantia calorem & fermentationem adaugent. Igitur ſi exſiccare & reſolvere velimus, non verò maturare, abſtinendum ab illis emplaſticis, & potiùs utendum iis quæ poros aperiunt, veluti ſunt fotus chalaſtici, cataplaſmata reſolventia, ſpiritus vini, aliáque id genus.

CXX.

Πολλὰ τῶν δοκεόντων ἐμπυήσειν ἀναπίνεται πολλάκις καὶ μηδενὸς καταπλάσματος. De Artic.

Multa quæ ſuppurare videntur, quandoque etiam nullo adhibito cataplaſmate reſorbentur.

Etſi hic Aphoriſmus ad Semeioticen referri poſſit, non tamen parvi uſus eſſe poteſt in Therapeutica, ne ſcilicet nimiùm feſtinemus tumores aut ad ſuppurationem adducere, aut aperire, ſiquidem eos diſcuti ſæpius accidat.

CXXI.

Τὰ νεότρωτα ἕλκεα πάντα ἧσσον ἂν φλεγμήναιεν, εἴτις διαπυήσειε ὡς τάχιστα, ἢ εἴτις ἀποτρέποι ὅκως μήδε μελλήσειε διαπυῆσαι, πολλῷ τε ἀνασκαίης πύου ὀλιγίστου. De ulcerib.

Recentia omnia vulnera minimè inflammantur, ſi quis quàm celerrimè ad ſuppuratio-

nem adducat, aut si quis prohibeat ne suppurent, nisi pure necessario admodum pauco.

Exinde cognoscere licet Neotericorum quorundam praxim, Hippocratis etiam fuisse, quâ scilicet aliquando vulnera sine suppuratione curentur, idque paucis pòst lineis confirmat dum ait: *quod verò ulcus acuto telo incisum aut dissectum fuerit, medicamentum quod cruentis protinus imponitur, & siccans quoddam quod suppurare vetet, admittit.*

FINIS.

A01 1460850

INDEX

Rerum præcipuarum.

ABortus periculoſus. pag.83
Abſtinentiæ conſideratio. 221
Aceti uſus & noxæ.63.64.216.& 244
Acidorum vis. 216
Acidum & Alcali. 11.62
Acidum morbi cauſa. 60. *& ſeqq.*
Acria, amara, auſtera. 256
Aëris turbatio vitanda. 277
Æſculapij oraculum. 332
Ætatum conſideratio. 22
Alæ curatu difficiles. 186
Alimenta quæ bona. 207. alvum laxantia. 212. conſtipantia. 213. diuretica. 214. & 215
Alimenti circulatio. 44
Allij vires. 250.348
Alopeciæ cauſa. 94
Alvi fluxus futuri ſigna. 131
Amarum morbi cauſa. 59
Ambuſtionis remedium. 397

Anginæ cauſa. pag. 74. & ſeqq. prognoſt. 132. 309. 310
Animantia ex igne & aqua conſtant. pag. 10
Ani prolapſus cura. 385
Antidotus ad quartanarios. 347
Antimonium an antiquis notum? 364
Apoplexiæ cauſa. 55. 70. 125. futuræ ſigna. 125. cura. 308
Aqua vorax. 64
Aquæ calcis uſus. 387
Aquæ minerales. 215. & 227
Aquarum conſideratio. 227. & ſeqq. uſus in febribus. 339. & ſeqq.
Aquilinus naſus quid ſignificet. 101
Arthritidis cauſa. 61. cura. 390
Aſtronomia Medico utilis. 49
Atra bilis quid efficiat. 116
Auris dolor ut curandus. 320. ſordes mutatæ quid portendant. 98
Aurum potabile. 51. & 52

Balbus & calvus quibus morbis tententur. 65
Balnei uſus. 268
Bilis fons ad hepar. 14

Calidum frigido nutritur. 12. non eſt febris cauſa. 60

Capitis conſideratio ad Phyſiognomiam. pag. 99. 100. ejus ulcus ut tractandum. 317. contrafiſſura. pag. 319
Caput glanduloſum. 20. morborum radix. 57. morboſiſſimum. 58. pituitæ fons. 14
Cardialgiæ præſidium. 338
Carnium conſideratio. 224. ſalitarum. 226
Carnis nimius eſus Choleræ cauſa. pag. 88
Cava, ſolida, rara, ſpongioſa, quæ in corpore. 81. 82
Cauſi cura. 339
Cephalalgiæ cura. 315. ab utero. ibid. ex crapula. 316
Cerebrum frigidi metropolis. 19. 20. glandulæ ſimile. ibid.
Choleræ cauſa. 88. cura. 360
Chirurgia Medico neceſſaria. 395
Chymia an antiquis nota. 52. 80
Ciborum conſideratio. 201. & ſeqq.
Circulatio ſanguinis. 44. & ſeqq. lactis. ibid. ſpiritus. ibid.
Clyſterum uſus. 300
Columellæ inflammatæ cura. 322 ſectio. 170

Conceptio quibus non fiat. 36
Confluxus unus. 13
Continentia, impetum facientia & contenta. 18
Contraria contrariis curantur. 281
Cor ſanguinis fons. 14. arteriarum radix. 15. muſculus eſt. 22. & 23
Corporis nullum principium. 13
Corpus totum perſpirabile. 12
Coryzæ prognoſtica. 132. & 133
Cutis raritas & denſitas quid efficiant. 78

Deambulationum utilitas. 264
Deligationes quales eſſe debent. 401
Delirij prognoſtica. 171. 173
Dentes plures vitæ longæ ſigna. 106
Dentitionis morbi. 111. 112
Diæta calida & frigida quæ. 259. 263
Diarrhœæ cura. 381
Dulcium conſideratio. 256
Dyſenteriæ curæ. 379. *& ſeqq.*

Empirica apud Hippocratem. 285
Empyematis ſigna. 140. cura. 333
Epilepſia quibus contingat. 67. ejus cauſæ. 68. *& ſeqq.*
Eryſipelatis prognoſtica. 169

Facies Hippocratica. 97
Fames morborum cauſa. 57
Fauces ulceratæ. 170
Febres inconſtantes. 349. malignæ. 86. earum ſigna. 128
Febrium cauſæ 60. *& ſeqq.* 86. remedia febrifuga. 339. 342. & 346
Ferulæ quales eſſe debent. 401
Flatuoſa quæ. 217. 218
Fluoris ſpecies. 156. *& ſeqq.* cura. 358.
Fluxiones unde. 72. à capite. 73
Fœtus nutritio per os. 26. 27. motus in utero 30. & 31. reſpiratio per os. 39. & 40
Fomenta varia. 326
Formæ & mores hominum. 19
Frigiditas & caliditas quid agant. 59
Fructus horarij choleram gignunt. 88

Gangrænæ cura. 396
Glandularum morbi. 89
Graviditatis ſigna. 155

Hæmorrhagiæ remedia. 324. ſigna. 106. *& ſeqq.*
Hæmorrhoïdum conſideratio. 161
cura. 384

Hemitritæi prognoſtica. 174
Hepar venarum radicatio. 15. gratioſi ſucci fons. 16
Homo à natura morbus. 53
Hordei vires. 249
Hydatides quid. 91
Hydromelitis vires. 252. & ſeqq.
Hydrops ab hydatidibus. 90. ab hepate. 91. à liene & omento. 67. ab utero. 151
Hydropis cura. 367. & ſeqq. prognoſtica. 147. & ſeqq. Hydropis pectoris ſigna. 143. & ſeqq.
Hyſterica. 350. & ſeqq.

Icteri cura. 361
Jejunij noxæ & uſus. 221
Ignis & aqua omnium principia. 11
Ilei cura. 362. Ileus Ictericius. 363
Imperitia malus theſaurus. 3
Impetiginis cauſa. 94. remedium. 387
Inflammationis cura. 98
Intemperies in ſanguine, non in partibus ſolidis. 59
Intermittentes malignæ evadunt. 86
Iræ noxæ. 273. 274
Iſchiadis cura. 389

Laborum utilitas. 265

Labra exulcerata quid portendãt. 173
Lac ex Chylo. 28.& 29. ejus uſus in arthritide. 390. 391
Lactis conſideratio.223. *& ſeqq.* 255 defectus 34.323.tardiùs apparens. 37. & 38. vomitus. 110
Laſerpitium quid. 344.& 349
Lateris dolor. 325
Leguminum qualitates. 251
Lentis vires. 250
Lepræ cauſa. 94. remedium. 387
Lethargi ſigna. 127. cura. 314
Leucophlegmatiæ cura. 373
Levia in levibus morbis. 295
Lien morboſiſſimum. 58. fiſco comparatum. 66. unde intumeſcat. 67. deorſum pendens. 165. melancholiæ fons. 14
Lienes magni quid. 162
Lienoſorum remedia. 377 *& ſeqq.*
Lienteriæ cura. 380. *& ſeqq.*
Linguæ conſideratio. 123.& 124
Lochiorum conſideratio. 153.355
Lumbrici lati ſigna. 160
Luxatio articulorum. 177. femoris. 179. maxillæ. 83. vertebrarum. 189.
Lymphæ uſus. 44

Lymphatica vaſa. 45
Malignorum remedia. 307
Maxillæ luxatio 83
Medicamenta vehementia ſtomachum exulcerant. 297
Medicinæ definitio. 9
Medici reipſa perpauci. 2
Medico neceſſaria. 4. & ſeqq.
Medulla quid. 43
Mel & mellita. 217. mellis vires. 251
Melancholia morbus. 166
Melancholiæ fons lien. 14. melancholia vorax. 64
Melopepones choleram gignunt. 89
Menſes moventia. 356
Menſtruorum conſideratio. 85. 86
Monoſitia. 220
Morbi autumnales. 119. vernales. ibid.
Morbi ex nervis. 115. ex venis. ibid.
Morbi derepente non accidunt. 54
Unde oriantur. 55
Morbus niger. 166
Mulierem venâ ſectâ non abortire. 37
Muſculorum colliquatio. 187. uſus. pag. 17.
Muſti vires. 241
Mutationes morbos pariunt. 56

Narcotica quæ. 275. & 276
Naſi conſideratio phyſiognomica. 100. & ſeqq.
Natura quid. 10. morborum medicatrix. 280
Nervorum uſus. 17. idem ac tendo Hippoc. 17. 188

Octimeſtris an vitalis. 32. & 33
Oculorum conſideratio ad Phyſiognomiam. 99. & ſeqq.
Olerum vires. 250
Ophthalmiæ cura. 309. & 311
Opſonia. 257
Oſſa quid conferant. 16
Oſſium fracturæ. 183. brachij, claviculæ, coſtarum, cubiti, femoris, maxillæ, naſi. 188. ſpinæ. 191. tibiæ. 184
Otij noxæ. 262
Oxymelitis vires. 254

Panis uſus & noxæ. 222
Paracenteſis nova. 370. & 371
Paralyſeos cauſæ. 125. ſigna. ibid. quæ curabilis. 126
Paronychiæ remedium. 386
Partus tempora. 36. & ſeqq.

Peripneumoniæ cauſa 87. Signa. 135. 137.138. cura. 33
Pernionum medela. 388
Phthiſis prognoſtica. 141. & ſeqq.
Pinguedo unde. 217
Pinguium vires. 217
Pituita quid. 93.94
Plethoræ ſigna. 117.118
Pleuritidis prognoſtica. 134. cura. 328.
Podagræ cauſa & prognoſis. 175
cura. 392
Polypi cura. 321
Pomorum qualitates. 250
Potus glacie refrigeratus. 338.341
Potuum conſideratio. 201
Prægnantium remedia. 353. & ſeqq.
Principium magnum quid. 46
Pruriginis cauſa. 94
Puerorum morbi. 113. & 114
Puerperæ labores. 38
Pulmonis alimentum quod. 25
Purgantia initio. 289. qui non purgandi. 292. quæ purgantia ſingulis conveniant. 294
Puris laudabilis ſigna 196. pus ad articulum accedens. 197

Quartanæ prognoſtica. 172. cura. 345

Rachitidis ſigna. 167
Recidivæ quibus fiant. 159
Regionis mutatio in longis morbis. 278
Renes glanduloſi. 21
Reſpiratio magni ad vitam momenti. 103
Rheumatiſmi cauſa. 61

Sacra ſacris communicanda. 1
Salia lixivioſa cauſtica. 95. volatilium ſalium uſus. 308
Sanctorij Medicina ſtatica non nova. 122
Sanguis ſpumans unde. 145
Scorbutus. 162. & ſeqq.
Semen unde veniat. 41
Septimeſtris an vitalis. 34
Silphium quid. 344. 349
Similitudines Medicis imponunt. 287
Sitis ſigna. 109
Sollicitudo morbus. 365
Somniorum præſagia. 198. & 199
Stranguriæ cura. 386
Sudor unde oriatur. 80. Sudoris conſideratio. 104

Superpurgationis remedium. 299
Suppositoriorum usus. 300
Suppurantia quando adhibenda. 404 *& seqq.*
Suturæ capitis sanitati conferunt. 21

Tabis dorsalis cura. 334. *& seqq.*
Tempora non secanda. 313
Tenesmi cura. 382
Transpirationis utilitas. 121
Tusses hyeme frequentiores. 87

Vacuationes magnæ periculosæ. 290
Venæ lacteæ. 42. & 43
Venæsectio copiosa Parisinorum. 88
Venæsectionis cautiones. 309. ejus usus in angina. 309. cephalalgiâ. 315. coxêdicum & dorsi doloribus. 376. lumborum doloribus. ibid. nervorum distentionibus. 374 ophthalmiâ. 309. pleuritide. 328. testium doloribus. 374. venarum interceptionibus. ibid. vertigine. 317
Veneris usus & noxæ. 267
Venter ut terra. 41
Ventriculi calidi quid efficiant. 102
Ventris torpor quid efficiat. 78. ejus obstructio flatus retinet. 79
Vertiginis cura. 317

Vigilia vorax. 64. Vigiliæ noxa. 261
Vincula qualia eſſe debent. 400
Vini vires & noxæ. 219. 233. & ſeqq. 299. Vini ingurgitatio choleræ morbi cauſa. 38
Virium proſtratio mala. 108
Viſionis deperditæ remedium. 312
Vita ſeptem dierum eſt. 48
Vitiliginis cauſa. 94
Ulcerum cauſæ. 93. & 95. diæta. 258 tempeſtas contraria. 393. remedia & cautiones. 394. & 395. prognoſtica. 192
Volvuli cura. 362
Vomitoriorum uſus & remedia. 304 & ſeqq.
Vomitus conſideratio. 104. futuri ſigna. 131
Urinæ ſigna. 157
Uteri affectuum cauſa. 84
Uteri prolapſus cura. 357
Uvarum vires. 244
Vulnera quæ lethalia. 180. Capitis. 182. & 183. Vulnerum cura. 401. & ſeqq. ſine ſuppurantibus. 406
Vulnerariæ potiones. 399

F I N I S.

Extrait du Privilege du Roy.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, A nos Amés & Feaux Conseillers, &c. Nostre Amé IACOB SPON Docteur en Medecine, nous a fait remontrer qu'il a composé un livre intitulé *Aphorismi novi Hippocratis*, &c. lequel il desiroit faire imprimer, auquel effet il nous a tres-humblement fait suplier de luy accorder nos lettres sur ce necessaires. A ces causes voulant favoriser ledit SPON, permettons par ces presentes de faire imprimer ledit livre pendant le temps de six années. Faisons defenses à tous Imprimeurs & Libraires de l'imprimer ou debiter sans son consentement, à peine de confiscation des exemplaires, & de mille livres d'amande. *Comme plus amplement est porté par ledit Privilege du 28. Ianvier 1683.. Signé* par le Roy en son Conseil.

IVNQVIERES.

Et ledit Spon a cedé son Privilege pour la premiere Edition à Messieurs Anisson & Posuel.

Registré sur le livre de la Communauté des Libraires de Paris, le 1. Fevrier 1683. Signé.

ANGOT.

A01 1460850

K 36.

LXY
B4-8